# MANUALE PASTORUM

IN QUO

JUXTA USUM

PASTORALIS

GANDAVENSIS,

CONTINENTUR

CANONES ET RITUS

Administrandi Sacramenta,

Variarum Benedictionum Formulæ, aliaque omnibus animarum curam gerentibus, perutilia aut necessaria.



GANDAVI,
Typis J. BEGYN, viâ dictâ *Breydelstege*, sub signo Angeli.

M. D. CCC. IX.

# TYPOGRAPHUS

## BENEVOLO

# LECTORI.

DEsiderarunt insignes Viri tum ob maximam quarumdam Parœchiarum in hac Diœcesi Gandavensi extensionem, tum ex eo quod in eadem plurima sint loca, in quibus deploranda admodùm sorte, ob heterodoxorum dominatum, publica aut libera non conceditur Sacramentorum Administratio, ut liber portatilis, et qui facilè recondi posset imprimeretur, in quo omnia, quæ functiones Pastorales maximè obvias concernunt, reperirentur; eorum ego justis obsecundans votis, et tuæ, benevole Lector, commoditati consulens, Manuale hoc imprimendum suscepi, supplicavique Illustrissimo ac Reverendissimo Domino Epis-

copo Gandavensi, ut suum consensum impertiri dignaretur, quem non solum benignè concessit, verum etiam contra quorumdam fortè criticorum tela, scuto suo gentilitio communiri ultrò permisit. Quo instructus munimine præfatum Manuale in tres partes distributum eleganter æquè ac correctè excudi.

1. Pars continet Canones et Ritus, quibus juxta præscriptum Pastoralis Gandavensis Sacramenta Administrari debent.

2. Pars complectitur........

3. Pars variarum benedictionum formulas refert, ac modum recipiendi Episcopum, Diœcesim suam visitantem..........

# MANUALIS PASTORUM

## PARS PRIMA

## CONTINENS RITUS ET CANONES,

Pro Administratione SACRAMENTORUM.

UT *ea, quæ ex Catholicæ Ecclesiæ institutis, & prædecessorum nostrorum decretis, & juxta hujus Diœcesis laudabilem consuetudinem, de Sacramentorum ritibus ac Cæremoniis hoc libro præscribuntur, qua par est diligentia ac religione custodiantur, & in omnibus Ecclesiis nobis subditis fideliter serventur; illud ante omnia scire & observare necesse est, quod Sacrosancta Synodus Tridentina de iis ritibus decrevit in hæc verba, Sess. 7. can.* 13.

Si quis dixerit, receptos & approbatos Ecclesiæ Catholicæ ritus, in solemni Sacramentorum administratione adhiberi consuetos, aut contemni, aut sine peccato à ministris pro libito omitti, aut in novos alios per quemcumque Ecclesiarum Pastorem mutari posse, anathema sit.

1. *Nulli igitur liceat in ritibus, cæremoniis, solemnitatibus, & orationibus vel minimum immutare: sed omnia & singula exactè observentur, & pronuntientur in Sacramenti cujusvis administratione, aliis-*

2 *De Sacramentorum administratione.* *que muniis Pastoralibus, prout infrà præscribuntur.*

2. *Sacramenta Baptismi, Pœnitentiæ, Eucharistiæ, Extremæ-Unctionis, & Matrimonii à propriis Parochis administrentur, & non ab aliis; nisi de nostra, aut ipsorum Parochorum licentia, vel in casu necessitatis.*

3. *Sacerdos Sacramentum aliquod administraturus, sit veste talari, superpelliceo, & stola decenter indutus, assistente Custode similiter cum superpelliceo; habeatque secum Pastorale hoc, ut ritus aliaque omnia in eo præscripta exactè pronuntiet & observet, ac debita utatur intentione, actuali scilicet, in quantum fieri potest, vel saltem virtuali, ad faciendum quod in eo sancta facit Ecclesia.*

4. *Nullum Sacramentum conferatur excommunicato, vel existenti in peccato mortali notorio, aut occulto occultè petenti, modò Minister occulti peccati cognitionem habeat aliter, quàm ex Confessione.*

5. *Sacerdos, ante alicujus Sacramenti administrationem, supplex ad Altare, vel aliàs pro temporis opportunitate dicat:*

OREMUS.

ADesto Domine supplicationibus nostris, & me, qui etiam misericordiâ tuâ primus indigeo, clementer exaudi; & quem non electione meriti, sed dono gratiæ tuæ

constituisti hujus operis ministrum, da fiduciam tui muneris exequendi; atque ipse in nostro ministerio, quod tuæ pietatis est, operare. Qui vivis & regnas cum Deo Patre, in unitate Spiritus sancti Deus, per omnia sæcula sæculorum. ℟. Amen.

*Post administrationem alicujus Sacramenti.*

OREMUS.

OMnipotens & misericors Deus, qui mihi indigno famulo tuo adesse dignatus es, ad sacrum istud ministerium peragendum; ne respicias peccata mea, sed fidem Ecclesiæ tuæ: & præsta, ut in famulis tuis gratia tua illud intus operetur, quod exteriore opere à nobis exercetur. Per Dominum nostrum Jesum Christum Filium tuum: Qui tecum vivit & regnat in unitate Spiritus sancti Deus, per omnia sæcula sæculorum. ℟. Amen.

# DE
# *SACRAMENTO BAPTISMI,*
## ET IIS QUÆ IN EJUS ADMINISTRATIONE OBSERVANDA SUNT.

### De Materia Baptismi.

1. M*Ateria Baptismi est aqua vera & naturalis; nulloque modo per admixtionem alterius materiæ, quoad substantiam, immutata.*

2. *Debet ex præcepto Ecclesiæ illa bis in anno benedici; nempe Sabbato sancto, & Vigilia Pentecostes, in Fonte mundo & decenti; quæ quando nova adhibenda est, in sacrarium effundatur.*

3. *Si aqua benedicta adeò sit imminuta, ut minùs sufficiens esse videatur, alia non benedicta admisceri potest; in minori tamen quantitate.*

4. *Si verò corrupta fuerit, aut effluxerit, aut alio modo defecerit, Parochus in Fontem benè mundatum, recentem aquam infundat, eamque januis clausis benedicat, juxta ritum in Missali descriptum: si verò congelata sit, antequam adhibeatur, curetur ut liquefiat: si autem nimis frigida, poterit aliquantulum aquæ calefactæ admisceri (in minori tamen quantitate) ne teneræ infantis valetudini noceat.*

## De Forma Baptismi.

1. F*Orma Baptismi est hæc absolutè necessaria:* Ego te baptizo in nomine Patris, & Filii, & Spiritus sancti. *Cui adjungi solet.* Amen.

2. *Hæc forma uno eodemque tempore, quo fit ablutio, pronuntianda est; licet Baptismus fieri possit tam per immersionem, quàm perfusionem.*

3. *Secundus modus (quo scilicet ter perfunditur baptizandus, concomitanter ad trium Personarum divinarum expressionem) pro hujus Diœcœsis consuetudine, ubique & semper est observandus; ita tamen, ut caro sensibiliter madefiat ex aqua per frontem defluente.*

4. *Cùm verò urgente mortis periculo privatim, & prætermissis cæremoniis, à Parocho vel alio Sacerdote infans est baptizatus; ubi periculum cessaverit, ad Ecclesiam deferatur, & om issa omnia suppleantur.*

## De Ministro Baptismi.

Q*Uamvis legitimus Baptismi minister sit Parochus, vel alius Sacerdos à Parocho vel nobis delegatus; attamen à quocumque, sine adhibita solemnitate Ecclesiæ, & quacumque lingua, in necessitate baptizari potest.*

## De loco ubi Baptismus conferri debet.

1. *CUm proprius locus hujus Sacramenti sit Ecclesia Parochialis nullus extra eam, nisi fortè in casu necessitatis, baptizet.*

2. *Nec sufficit in Ecclesia baptizare; sed accedendum est ad Fontem Baptismalem, qui decenti loco & forma collocatus, aquam benedictam benè contineat, & cancellis, aut aliàs sit circumseptus, sera & clave munitus; atque ita obseratus, ut pulvis aut aliæ sordes intrò non penetrent.*

3. *Sacrum Chrisma, & Oleum Catechumenorum, eodem anno sint benedicta, & asservata, prout in Ordinatis nostris præscribitur, veteribus in Ecclesia combustis, & cineribus in sacrarium conjectis.*

## De iis qui baptizandi sunt sub conditione.

1. *PUerum in partu periclitantem, si caput dumtaxat, manum, aut pedem emittat, per obstetricem, aut aliam benè instructam mulierem, curabit Pastor in ea parte baptizari. Si tamen perfecté nascatur, sub conditione iterùm baptizetur.*

2. *Si mater prægnans mortua fuerit, exscindatur fœtus, ut, si vivat, absoluté; si dubium sit, sub conditione baptizetur.*

3. *Monstrum, quod humanam speciem non habet, non baptizetur. Judicium autem hoc in casu desumendum est, præsertim ex capite; proinde si caput hominis sit,*

*absolutè baptizetur; si dubium, sub conditione, hoc modo:* Si tu es homo, ego te baptizo, *&c.*

4. *Si duo sint capita & pectora, signum est esse duos homines seorsim baptizandos. Si non habeat perfecté duo capita aut pectora, & ita sit dubium an sit unus vel plures homines, unus absolutè, & alter conditionaliter baptizetur, modo supradicto.*

5. *Quamvis autem benè baptizatos denuo non liceat baptizare, ne quidem sub conditione: illos tamen, qui baptizati sunt à laicis personis, etiamsi sint obstetrices, aut alii, qui se benè baptizasse credunt, Parochus sub conditione baptizabit.*

*Similiter, baptizatos ab hæreticis, item infantes expositos & inventos; nisi re benè examinata, de valido Baptismo constet.*

## De Patrinis seu Susceptoribus.

1. **D***Iligenter animadvertat Parochus, qualis vitæ sint aut conditionis, qui, ut baptizandum de Fonte levent, sese offerunt; ne inidoneos admittat, quales sunt hæretici, publicè infames, item qui sana mente non sunt, aut Fidei rudimenta ignorant, aut Regulares, quacumque dignitate præfulgeant, seu per se, seu per procuratorem.*

2. *Caveat etiam, ne baptizandis imponantur nomina obscœna, ridicula, inanium deorum, aut hominum ethnicorum; sed Sanctorum Dei, quorum exemplis excitentur ad piè vivendum.*

# RITUS ET FORMA ADMINISTRANDI PARVULIS SACRAMENTUM BAPTISMI.

*Minister Baptismi, superpelliceo indutus & stola, assistente Custode etiam cum superpelliceo, & accensa candela benedicta, ad locum Baptisterio vicinum accedat, ibidemque à Susceptoribus, nomine baptizandi responsuris, interroget:*

Quid petis? *Susceptores respondeant:* Baptismum.

Wat begeirt gy? *Resp.* Het Doopsel.

Que demandez-vous? *Resp.* Le Baptême.

*Deinde interroget nomen infanti imponendum:*

Quodnam nomen ei imponitis? *Resp.* N.

Wat naeme belieft u-lieden dit kind te geven? *Resp.* N.

Quel nom vous plaît-il donner à cet enfant? *Resp.* N.

*Si contingat plures simul esse baptizandos, in Orationibus & Exorcismis singularis numerus mutetur in pluralem. Semper tamen cæremoniæ unctionum, Baptismi, & aliæ, singulis singulariter sunt administrandæ, & à singulis interrogandum,* Quid petat: An abrenuntiet, Credat, & Baptizari velit.

*Deinde exsufflet in faciem baptizandi, ore angusto (non verò per modum halantis ore aperto; id enim foventis est, non expellentis) & dicat:* Recede diabole ab hac imagine Dei, increpatus ab eo, & da locum Spiritui sancto.

*Posteà Sacerdos pollice dextro faciàt crucem in fronte baptizandi, dicens:* Signum Salvatoris Domini nostri Jesu Christi in ✠ fronte tua pono.

*Hinc faciat crucem in pectore baptizandi, dicens:* Signum Salvatoris Domini nostri Jesu Christi in ✠ pectore tuo pono.

*Deinde dicat* ℣. Dominus vobiscum. ℟. Et cum spiritu tuo. *Tunc imponit manum super caput pueri, & dicit:*

OREMUS.

OMnipotens sempiterne Deus, Pater Domini nostri Jesu Christi, respicere dignare super hunc famulum tuum [hanc famulam tuam] *N.* quem [quam] ad rudimenta fidei vocare dignatus es: omnem cæcitatem cordis ab eo [ea] expelle: disrumpe omnes laqueos satanæ, quibus fuerat colligatus. [colligata.] Aperi ei Domine januam pietatis tuæ, ut signo sapientiæ tuæ imbutus, [imbuta,] omnium cupiditatum fœtoribus careat, & ad suavem odorem præceptorum tuorum lætus [læta] tibi in Ecclesia tua deserviat; & proficiat de die in diem, ut idoneus [idonea] efficiatur accedere ad gratiam Baptismi tui

percepta medicina. (*In supplendis cæremoniis dicitur*, Ut idoneus [idonea] efficiatur permanere & crescere in gratia Baptismi tui, quem suscepit.) Per Christum Dominum nostrum. ℟. Amen.

OREMUS.

PReces nostras, quæsumus Domine, clementer exaudi: & hunc electum tuum (hanc electam tuam) Crucis Dominicæ, cujus impressione ✠ (*signet frontem pueri pollice dextro*) eum [eam] signamus, virtute custodi, ut magnitudinis gloriæ rudimenta servans, per custodiam mandatorum tuorum, ad regenerationis gloriam pervenire mereatur. Per Christum Dominum nostrum. ℟. Amen.

OREMUS.

DEus, qui humani generis ita es conditor, ut sis etiam reformator; propitiare populis adoptivis, & novo testamento sobolem novæ prolis adscribe; ut filii promissionis, quod non potuerunt assequi per naturam, gaudeant se recepisse per gratiam. Per Christum Dominum nostrum. ℟. Amen.

*Exorcismus salis, quem facere oportet, si sal non habeatur exorcizatum.*

EXorcizo te creatura salis, in nomine Dei Patris omnipotentis ✠, & in charitate Domini nostri Jesu Christi ✠, & in virtute Spiritus sancti ✠. Exorcizo te per

Deum ✠ vivum, per Deum ✠ verum, per Deum ✠ sanctum. Per Deum, qui te ad tutelam humani generis procrèavit, & populo venienti ad credulitatem per servos suos consecrari præcepit, ut in nomine sanctæ Trinitatis efficiaris salutare Sacramentum ad effugandum inimicum. Proinde rogamus te Domine Deus noster, ut hanc creaturam salis sanctificando ✠ sanctifices, benedicendo ✠ benedicas, ut fiat omnibus accipientibus perfecta medicina, permanens in visceribus eorum, in nomine Domini nostri Jesu Christi, qui venturus est judicare vivos & mortuos, & sæculum per ignem. ℟. Amen.

*Hîc interrogabit nomen infantis, dicens:* Naemt het kind. Nommez l'enfant.

*Susceptoribus nomen pueri apellantibus, imponat sal ori ejus, dicens:* N. accipe sal sapientiæ, per quod propitiatus sit tibi Deus in vitam æternam.

OREMUS.

DEus Patrum nostrorum, Deus universæ conditor creaturæ, te supplices exoramus, ut hunc famulum tuum [hanc famulam tuam] *N.* respicere digneris propitius; ut hoc primum pabulum salis gustantem, non diutiùs esurire permittas, quo minùs cibo expleatur cœlesti, quatenus sit semper, Domine; spiritu fervens, spe gaudens, & nomini tuo serviens. Perduc eum [eam] Domine ad novæ regenerationis lavacrum.

(*vel in supplendis cæremoniis*, & quem [quam] ad novæ regenerationis lavacrum perduxisti, quæsumus Domine;) ut cum fidelibus tuis promissionum tuarum æterna præmia consequi mereatur. Per Christum Dominum nostrum. ℟. Amen.

EXORCISMUS.

EXorcizo te immunde spiritus, per Patrem, & Filium, & Spiritum sanctum, ut exeas & recedas ab hoc famulo [hac famula] Dei *N.* Ipse enim tibi imperat maledicte, qui pedibus super mare ambulavit, & Petro mergenti dexteram porrexit. Ergo maledicte diabole, recognosce sententiam tuam, & da honorem Deo vero & vivo: da honorem Jesu Christo Filio ejus, & Spiritui sancto: & recede ab hoc famulo [hac famula] Dei *N.* quia istum [istam] sibi Deus & Dominus noster Jesus Christus ad suam sanctam gratiam & benedictionem, fontemque Baptismatis vocare dignatus est: & hoc signum sanctæ ✠ Crucis, quod nos fronti ejus damus, tu maledicte diabole numquam audeas violare. Per eumdem Christum Dominum nostrum. ℟. Amen.

OREMUS.

DEus, immortale præsidium omnium postulantium, liberatio supplicum, pax rogantium, vita credentium, resurrectio mortuorum, te invoco super hunc famulum tuum *N.* qui [hanc famulam tuam

*N.* quæ) Baptismi tui donum petens, æternam gratiam consequi spirituali regeneratione desiderat. (*In supplendis cæremoniis* qui (quæ) Baptismi tui gratiâ percepta, æternam quoque gloriam consequi desiderat.) Accipe eum (eam) Domine: & quia dignatus es dicere: Petite, & accipietis; quærite, & invenietis; pulsate, & aperietur vobis: petenti præmium porrige, & januam pande pulsanti, ut æternam cœlestis lavacri benedictionem consecutus (consecuta) promissa tui muneris regna percipiat. Per Christum Dominum nostrum. ℟. Amen.

OREMUS.

ÆTernam ac justissimam pietatem tuam deprecor, Domine sancte, Pater omnipotens, æterne Deus, auctor luminis & veritatis: respice super hunc famulum tuum (hanc famulam tuam) *N.* ut digneris eum (eam) illuminare lumine intelligentiæ tuæ: munda eum, (eam,) & sanctifica: da ei scientiam veram, ut dignus (digna) efficiatur accedere ad gratiam Baptismi tui. (*In suppletione cæremoniarum*, ut dignus (digna) efficiatur permanere & crescere in gratia Baptismi, quem suscepit.) Teneat firmam spem, consilium rectum, doctrinam sanctam. Per Christum Dominum nostrum. ℟. Amen.

*Deinde Sacerdos extendit extremitates stolæ super infantem, in modum crucis, & dicit:*

℣. Dominus vobiscum. ℟. Et cum spiritu tuo.

℣. Sequentia sancti Evangelii secundùm Matthæum. ℟. Gloria tibi Domine.

*Interim Sacerdos signat frontem, os, & pectus infantis.*

IN illo tempore respondens Jesus, dixit: Confiteor tibi Pater, Domine cœli & terræ, quia abscondisti hæc à sapientibus, & prudentibus, & revelasti ea parvulis. Ita Pater: quoniam sic fuit placitum ante te. Omnia mihi tradita sunt à Patre meo. Et nemo novit Filium, nisi Pater: neque Patrem quis novit nisi Filius, & cui voluerit Filius revelare. Venite ad me omnes, qui laboratis, & onerati estis, & ego reficiam vos. Tollite jugum meum super vos, & discite à me, quia mitis sum, & humilis corde: & invenietis requiem animabus vestris. Jugum enim meum suave est, & onus meum leve. *Resp.* Laus tibi Christe.

*His expletis, Sacerdos de sputo suo, in palmam sinistram decenter & modestè emisso, assumit pollice & indice dextræ manus, & tangit successivè nares & aures baptizandi: & aures quidem tangendo, primò dextram, deinde sinistram, dicit:* Ephpheta, quod est Adaperire: *deinde tangendo nares:* in odorem suavitatis: *tum subjungit:* Tu autem recede diabole, appropinquat enim judicium Dei.

*Peractis his omnibus pro Exorcismo, sequitur catechismus; pro quo faciendo præci-*

*piet Sacerdos, ut mulieres sic denudent infantem, ut liberum sit ejus caput, pectus, & scapulæ. Tunc Sacerdos introducens puerum in Baptisterium, monebit Susceptores ut secum orent, & dicant* Pater noster & Credo. *Deinde ad infantis manum dextram imprimendo signum crucis, dicit:* Trado tibi signaculum Domini ✠ nostri Jesu Christi in manu tua dextra; ut te signes, & de te adversarium ex omni parte repellas, & habeas vitam æternam, & vivas cum Deo in sæcula sæculorum. ℟. Amen.

*Deinde ad catechizandum petit nomen infantis, dicens:* Naemt het kind. *Nommez l'enfant.*

*Quibus nomen pueri respondentibus, Sacerdos interroget:* N. abrenuntias satanæ? *Susceptores respondeant:* Abrenuntio.

N. Verzaekt gy den vyand? *Resp.* Ja, ik verzaeke hem. *N. Renoncez-vous à satan? Resp. J'y renonce.*

*Iterùm interroget Sacerdos:* Et omnibus operibus ejus? *Resp.* Abrenuntio.

Ende alle zyne werken? *Resp.* Ja, ik verzaeke die. *Et à toutes ses œuvres? Resp. J'y renonce.*

Et omnibus pompis ejus? *Resp.* Abrenuntio.

En allen zynen pompeusen staet? *Resp.* Ja, ik verzaeke die. *Et à toutes ses pompes? Resp. J'y renonce.*

*Hoc facto, Sacerdos Oleo sancto, quod dicitur Catechumenorum, faciat primò crucem in pectore pueri, secundò inter scapulas ejus; & abstergat oleum stuppâ, pro cineribus sacris posteà comburendâ: & dicat inter liniendum:* Et ego te linio Oleo salutis in Christo Jesu Domino nostro, ut habeas vitam æternam. ℟. Amen.

*Deinde, nomine pueri expresso, Sacerdos interroget eum, dicens:* N. credis in Deum Patrem omnipotentem, Creatorem cœli & terræ? ℟. Credo.

N. Gelooft gy in Godt den Vader Almagtig, Schepper des Hemels ende der aerde? *Resp.* Ik geloove.

*N. Croyez vous en Dieu le Pere tout-puissant, Créateur du Ciel et de la terre? Resp. Je crois.*

*Sacerdos iterùm interroget: N.* credis & in Jesum Christum, Filium ejus unicum, Dominum nostrum: qui conceptus est de Spiritu sancto, natus ex María Virgine, passus sub Pontio Pilato, crucifixus, mortuus, & sepultus: descendit ad inferos: tertia die resurrexit à mortuis: ascendit ad cœlos, sedet ad dexteram Dei Patris omnipotentis: inde venturus est judicare vivos & mortuos? ℟. Credo.

N. Gelooft gy ook in Jesum Christum, zynen eenigen Zone, onzen Heere: die ontfangen is van den heyligen Geest, geboren uyt de Maget Maria, gepassiet onder

Pontio Pilato, gekruyst, gestorven, ende begraven. Die nedergedaelt is ter hellen; ten derden dage is verrezen vander dood, die opgeklommen is ten Hemel, die zit ter rechter hand Gods zyns Vaders almachtig, ende van daer zal wederom komen oordeelen de levende ende de doode? *Respondetur.* Ik geloove.

*N. Croyez-vous aussi en Jesus-Christ, son Fils unique, notre Seigneur, qui a été conçu du saint Esprit, né de la Vierge Marie, qui a souffert sous Ponce Pilate; a été crucifié, mort, et enseveli. Est descendu aux enfers, le troisième jour resuscité de mort à vie, est monté aux Cieux, est assis à la droite de Dieu le Père tout-puissant, de là viendra juger les vivans et les morts. Resp. Je croia..*

*Iterùm interrogetur:* N. credis & in Spiritum sanctum, sanctam Ecclesiam Catholicam, Sanctorum communionem, remissionem peccatorum, carnis resurrectionem, vitam æternam? *Resp.* Credo.

N. Gelooft gy ook in den heyligen Geest, eene heylige Katholyke Kerke, gemeenschap der Heyligen, vergiffenisse der zonden, verryssenisse des vleeschs, ende het eeuwig leven? *Resp.* Ik geloove.

*N. Croyez-vous aussi au saint Esprit, la sainte Eglise Catholique, la communion*

des Saints, la rémission des péchés, la résurrection de la chair, et la vie éternelle? Resp. Je crois.

*Sequens interrogatio omitti debet, si cæremoniæ suppleantur, prout & ipse Baptismus.*

*Posteà petat Sacerdos:* N. Vis baptizari? ℟. Volo.

N. Wilt gy gedoopt zyn? *Resp.* Ik wille.

N. Voulez-vous être baptisé? Resp. Je veux.

*Deinde Sacerdos, jubens Susceptores supponere manum infanti baptizando, quærat, an propter periculum formidatum, sit circa Baptismum pueri à quoquam aliquid attentatum. Et si respondeatur, nihil ejusmodi factum; absolutè baptizet eum, ter fundendo aquam super caput ejus, ita ut visibiliter carnem madefaciat ex aqua per frontem defluente, dicendo:* N. Ego te baptizo in nomine Patris, & Filii, & Spiritus sancti, Amen.

*Si autem respondeatur, aliquid esse attentatum, & Sacerdos dubitet num proles ritè sit baptizata, dicat hoc modo:* N. Si non es batizatus [baptizata] ego te baptizo in nomine Patris, & Filii, & Spiritus sancti, Amen.

*Deinde (quod etiam observatur in cæremoniarum suppletione) liniendo puerum in modum crucis sacro Chrismate in vertice, dicit orationem sequentem:*

DEus omnipotens, Pater Domini nostri Jesu Christi, qui te regeneravit ex aqua, & Spiritu sancto, quique tibi dedit remissionem omnium peccatorum, ipse te liniat Chrismate salutis ✠ in eodem Christo filio suo Domino nostro in vitam æternam.

*Tunc imponendo albam vestem capiti pueri, dicat:* Accipe vestem candidam & immaculatam, quam perferas ante tribunal Domini nostri Jesu Christi, ut habeas vitam æternam, & vivas in sæcula sæculorum.

*Posteà candela ardens datur in manu Susceptorum, & dicitur:* Accipe lampadem ardentem, irreprehensibilem custodi Baptismum tuum, ut cùm Dominus venerit ad nuptias, possis occurrere ei, unà cum omnibus Sanctis in aula cœlesti, & vivas cum eo in sæcula sæculorum. ℟. Amen.

*Peracto Baptismo, Parochus, aut Vicarius ejus, propriâ manu scribat, aut saltem signet nomen inprimis pueri noviter baptizati, horam nativitatis ejusdem; deinde Parentum, & Susceptorum nomina.* (Vide part. 3.) *Prætereà moneantur Susceptores de onere suscepto baptizatum in fide & moribus instruendi, aut curandi ut per alios instruatur; item de contracta spiritali cognatione, futurum matrimonium dirimente; sic ut tàm Patrinus quàm Matrina cum baptizato aut cum ejus parentibus nequaquam validè conjugari possint.*

# DE BAPTISMO ADULTORUM.

*INterdum contingit, adultos ex partibus hæreticorum advenientes, vel absolutè, vel sub conditione, in hac Diœcesi nostra baptizari. Ut autem id debitè fiat :*

1. *Cùm adultus baptizari debebit, Sacerdos ejus voluntatem & propositum diligenter exploret; & exquirat, num aliàs ritè sit baptizatus nec ne.*

2. *Illum nonnisi benè probatum, anteà firmiter in fide Catholica instructum ac contritum admittat, re priùs seriò cum Episcopo vel ejus Vicariatu, (quatenus fieri potest) communicatâ.*

3. *Cùm admittitur, baptizandus est juxta formam pro parvulis hic descriptam, & ipse Catechumenus ad interrogationes Sacerdotis per se respondeat, si possit.*

4. *Si tamen contingeret expedire, in casu aliquo particulari totum hujusmodi ritum non observari; re priùs cum Episcopo vel Vicariatu communicatâ, ac de ejus consensu, poterit in totum vel pro parte omitti, servando ea dumtaxat, quæ ad Sacramenti hujus validitatem essentialiter requiruntur.*

# DE SACRAMENTO CONFIRMATIONIS,

Vide Pastorale.

---

# DE SACRAMENTO PŒNITENTIÆ.

## DE IIS QUÆ PRO SACRAMENTI PŒNITENTIÆ ADMINISTRATIONE OBSERVANDA SUNT.

1. S*Anctum Pœnitentiæ Sacramentum omnibus post Baptismum lapsis, in re vel in voto necessarium, essentialiter requirit Materiam, Formam, & Ministrum cum debita intentione. Ejus materia remota, sunt peccata; poxima verò, sunt actus pœnitentis; videlicet Contritio, Confessio, & satisfactio. Forma autem ordinaria hæc est :* Ego te absolvo à peccatis tuis, in nomine Patris, & Filii, & Spiritus sancti, Amen. *Minister est Sacerdos, ab Ordinario loci approbatus, qui habet ordinariam vel delegatam potestatem absolvendi. In periculo tamen mortis quilibet Sacerdos potest à quibuslibet peccatis & censuris absolvere.*

2. *In ejus ministerio requiritur etiam bonitas, scientia, atque prudentia, cum sigillo secretissimæ confessionis; adeò, ut ne quidem in generali Confessarius referre possit ea, quæ & eo modo quo in confessione audivit.*

3. *Tenetur benevolè interrogare Pœnitentem, quando probabiliter judicat ipsum aliqua omittere, quæ necessariò explicanda sunt, & quando speciem aut circumstantias speciem mutantes prætermittit, vel numerum in peccato mortali à se commisso non exprimit. Moneat etiam cum mansuetudine rudiores, ad dolorem ex amore Dei de delictis suis præteritis concipiendum, futuris vitandis, & ad vitam in melius commutandam.*

4. *Caveat autem Confessarius à curiosis, inutilibus, & incautis interrogationibus; maximè circa peccata carnis.*

5. *Pueros habentes usum rationis admittere debet: sed observet, an sint benè instructi in necessariis. Pro instructionis autem praxi, (ubi fieri potest) eos ad Catechismum convocet; aut scholam in qua congregati sunt adeat, illicque mysteria Fidei illos doceat, & ad Confessionem præparet; designando etiam idoneos ad sanctam Communionem percipiendam.*

6. *Prudenter advertat quando & quibus neganda aut differenda sit absolutio: nec eam impendat iis, qui odia, inimici-*

*tias, aliaque peccata deponere, aliena restituere, seu proximam peccandi occasionem, ubi possunt & tenentur, deserere nolunt: item qui casus habent Pontifici aut Episcopo loci reservatos, quos scire debet Confessarius.*

*7. Casus autem in hâc Diœcesi reservati sunt duodecim sequentes, extracti ex instructione pro Confessariis in Diœcesi Gandavensi, ab Illustrissimo Episcopo* FALLOT DE BEAUMONT, *anno* 1803. *editâ.*

1us. Raptus Virginis. *Per* raptum virginis *intellige, quo vi abducitur contra suam voluntatem, libidinis, aut matrimonii contrahendi causâ.*

2us. Homicidium *directe voluntarium: homicidium autem Clerici reservatur Pontifici.*

3us. Incendium deliberatum; *quod ex proposito factum est, sive sit Ecclesiæ, sive domorum aut aliorum ædificiorum, sive frugum.*

4us. Sodomia, *re ipsa consummata cum eodem sexu, aut* bestialitas *ad quemlibet actum externum deducta ex intentione consummandi, & ejusmodi graviora.*

5us. Simonia, *scilicet realis.*

6us. Hæresis *vera & interna, externo signo manifestata, sive sit publica, sive occulta.*

7us. Apostasia. *Per* Apostasiam *intellige:* 1° *illam quæ est à fide, qua quis animo*

*& exterius à fide ex toto deficit.* 2° *a Religione, ut si prorsus Religionem approbatam deserit sine licentia, animo non redeundi ad illam vel aliam, sed sæculariter vivendi.* 3° *ab Ordine, ut si in majoribus Ordinibus constitutus propria authoritate recedat ad statum sæcularem: si vero uxorem duxerit, est excommunicatus.*

8us. Incestus. Incestum *intellige re ipsa consummatum cum consanguineis in primo vel* 2° *gradu; cum affinibus in* 1° *gradu; vel commissum cum mulieribus Religiosis professis.*

9us. Injectio manuum *violenta & deliberata cum læsione in Patrem, Matrem, Avum & Aviam.*

10us. Adulterium *quocumque modo, sive jure, sive facto, sive solâ famâ* publicum: *item* Adulterium occultum, *quando est* impedimentum criminis *dirimens matrimonium.*

11us. Procuratio abortus *directè voluntaria, sive fœtus animatus sit, sive non; sub quo comprehenditur quæcumque positiva ad Abortum Coöperatio, effectu secuto.*

12us. Perjurium *vel* falsum Testimonium datum in judicio; *id est, unum vel alterum præstitum coram judice, sive Ecclesiastico, sive Laico, vel ejus delegato.*

" *Sciant, prosequitur instructio, præ-*
" *tereà Confessarii, quod etiamsi aliàs*
" *habeant facultatem absolvendi à casibus*
" *nobis reservatis, adhuc tamen specialem*
" *habêre debeant quoad* Hæresim *&* Abor-
" tum, *de quibus Supra Casu* 6° *&* 11°,
" *& quod nullus Confessarius extra mor-*
" *tis periculum absolvere possit aut valeat*
" *à peccato quolibet mortali externo con-*
" *tra castitatem sibi in eodem peccato*
" Complicem, *nec ad hoc sit approbatus*".

" *Denique licet certum sit, nullam esse*
" *reservationem in articulo mortis, sæpè*
" *tamen dubia oriuntur, an articulus*
" *mortis verè subsit; qua propter, ut iis-*
" *dem obvietur, concedimus omnibus Con-*
" *fessariis, in hac Diœcesi admissis, Con-*
" *fessionem alicujus ægroti, in ordine ad*
" *suscipiendum Viaticum vel extremam*
" *Unctionem excipientibus, facultatem*
" *absolvendi ab omnibus casibus, quocum-*
" *que modo . , * . . Nobis reservatis,*
" *etiam ab Abortu & Hæresi, . . * . .*
" *servatis servandis: hanc concessionem*
" *etiam extendimus ad Casum, ubi exci-*
" *pitur Confessio alicujus Ægroti, in or-*
" *dine ad ipsi administrandum Sanctissi-*
" *mum Eucharistiæ Sacramentum per*

---

* Quæ hìc omittuntur, revocata sunt vi instructionis Illustrissimi Domini Episcopi Mauritii-Joannis-Magdalenæ De Broglie, de die 24 Maji 1808.

*„ modum, uti dicunt, devotionis: has ta-
„ men concessiones nullo modo extensas
„ volumus ad casum absolutionis Compli-
„ cis, de quo supra".*

8. *Confessarii, qui a casibus reservatis absolvendi potestatem habent, summa cum prudentia eam exerceant, & ad ædificationem; ponderando, ac pœnitenti proponendo eorumdem gravitatem, ut illos in posterum diligentiùs devitet.*

9. *Quotquot generaliter ad excipiendas fidelium Confessiones ut idonei admissi sunt; ob graves & diversas difficultates indies occurentes, habeant bonos classicos Auctores, qui casus conscientiæ ex professo tractant, illosque manibus continuò terant, & casus propositos non temerè resolvant: sed in difficilioribus & perplexis recurrant ad Auctores, vel viros doctiores, ea in re meliùs versatos.*

10. *Quamvis Confessarius teneatur pœnitenti convenientem satisfactionem aut pœnitentiam imponere, consideratâ gravitate peccatorum, statu ac dispositione pœnitentis; pro peccatis tamen occultis, quamtumvis gravibus, manifestam pœnitentiam non imponat; neque magnam aut laboriosam graviter ægrotantibus, nisi fortassis adimplendam postquam ii à morbo convaluerint.*

# RITUS ADMINISTRANDI
# SACRAMENTUM
# PŒNITENTIÆ.

*SAcerdos, Confessiones excepturus, tamquam Judex sedeat bireto coopertus, stolâ & superpelliceo indutus, in sede Confessionali cum cancellis. Pœnitens autem Sacerdotem accedens, manibus complicatis, utrumque genu coram eo, tanquam Christi in terris vicario, decentissimè flectat, & ita se collocet, ut ejus faciem non inspiciat; præsertim si sit mulier: sed auribus se præbeat, dicens:* Benedic Pater. *Tunc subjungat Sacerdos:* Dominus sit in corde tuo, & in labiis tuis, ad dignè confitendum peccata tua, in nomine Patris, ✠ & Filii, & Spiritus Sancti, Amen.

*Tunc pœnitentem sua ipsummet enumerantem peccata, sine interruptione, usque ad finem audiat: & si taceat, aut se interrogari petat, aut in aliquo deficiat, ipsum adjuvet, moneat, atque examinet, juxta statum & exigentiam rei.*

*Omnibus ritè peractis, salutarem pœnitentiam ante absolutionem injungat. Et quamvis piè possit præmittere hasce preces:* Misereatur tui omnipotens Deus, &

dimissis peccatis tuis, perducat te ad vitam æternam. *Item:* Indulgentiam, absolutionem, & remissionem peccatorum tuorum, tribuat tibi omnipotens & misericors Dominus. *Vel etiam:* Veneranda Passio Domini nostri Jesu Christi, merita & preces Beatissimæ Dei genitricis, bona opera per te facta vel facienda, omniaque mala in hac vita per te toleranda, cedant tibi in satisfactionem peccatorum tuorum: pro speciali autem pœnitentia, leges aut facies hoc vel illud. *Sufficit tamen, juxta consuetudinem, ut statim ab imposita pœnitentia Sacerdos proferat hanc formam absolutionis, quam nullatenus immutare debet.* Dominus noster Jesus Christus te absolvat, & ego authoritate ipsius te absolvo ab omni vinculo excommunicationis, in quantum possum, & tu indiges; deinde ego te absolvo à peccatis tuis, in nomine Patris, ✠ & Filii, & Spiritus Sancti, Amen.

*Quod si pœnitens sit persona Ecclesiastica, dici poterit hoc modo:* Dominus noster Jesus Christus te absolvat, & ego authoritate ipsius te absolvo ab omni vinculo excommunicationis, suspensionis & interdicti, in quantum possum, *&c.*

*Porrò in magna necessitate, v. g. urgente mortis periculo, hæc absolutionis forma sufficiat.* Ego te absolvo ab omnibus censuris & peccatis tuis, in nomine Patris, ✠ & Filii, & Spiritus Sancti, Amen.

### *Absolutio excommunicati in foro Pœnitentiali.*

*MEmorem oportet esse omnem Confessarium, si putat vel metuit, pœnitentem aliquâ excommunicatione, sive majori sive minori, esse innodatum, ut non priùs sacramentalem absolutionem impendat, quàm confitens ab ea sit absolutus; quod planè hoc modo fiat:* Dominus noster Jesus Christus te absolvat, & ego authoritate ipsius te absolvo à sententia excommunicationis majoris quam incurristi, & restituo te Sacramentis Ecclesiæ; deinde, ego te absolvo, *&c.*

*Qua forma utetur in absolutione ab excommunicatione majori non reservata. Ab excommunicatione autem minori: (quæ incurritur dumtaxat propter vetitam communicationem cum nominatim denuntiato excommunicato, vel notorio Clerici percussore:) poterit Sacerdos approbatus, & habens jurisdictionem competentem, absolvere, hoc modo:* Te absolvo à vinculo excommunicationis minoris, quam *&c.*

# DE SACRAMENTO EUCHARISTIÆ.

1. P*Arochus summum studium in eo ponat, ut tam ipse Venerabile hoc Sacramentum (quot dignitate, ac præstantia rei illic contentæ, reliquis longè supereminet) maximâ reverentiâ, debitoque cultu tractet, custodiat, & administret; quàm etiam ut populus ei commissus religiosè colat, sanctè frequenterque suscipiat, præsertim in majoribus anni solemnitatibus.*

2. *Quare populum de Sacrosancti hujus mysterii veritate diligenter informet; doceatque quâ animi præparatione, fervore, religione, pietate, atque humili corporis habitu, eò accedere debeat.*

3. *Habeantur autem perpetuò in hunc finem aliquot Hostiæ consecratæ (quæ competenti numero conservari debent, & sæpiùs renovari) in pixide ex solida decentique materia, custodienda super corporali mundo, in tabernaculo clave obserato, coram quo lampas die noctuque semper colluceat.*

4. *Nec tantùm una pixis, sed ad minimum duæ ponantur in tabernaculo, cum Eucharistia in utraque inclusa; ut cùm unam ad ægrum communicandum deferri contingat, ob adorationem altera remaneat.*

5. *Decretum Concilii Lateranensis sub* Innocentio III. *Parochus singulis annis ante Pascha publicet, & interpreteteur:* Omnis utriusque sexus fidelis, postquam ad annos discretionis pervenerit, omnia sua solus peccata confiteatur fideliter, saltem semel in anno, proprio Sacerdoti, & injunctam sibi pœnitentiam studeat pro viribus adimplere, suscipiens reverenter ad minus in Pascha Eucharistiæ Sacramentum; nisi fortè de consilio proprii Sacerdotis, ob aliquam rationabilem causam, ad tempus ab ejus perceptione duxerit abstinendum: alioquin & vivens ab ingressu Ecclesiæ arceatur, & moriens Christianâ careat sepulturâ.

# RITUS ADMINISTRANDI SACRAMENTUM EUCHARISTIÆ EXTRA MISSÆ SACRIFICIUM IN ECCLESIA.

*SAcerdos Sanctissimam Eucharistiam administraturus, lotis priùs manibus, & albâ vel superpelliceo ornatus, cum stola coloris diei convenientis, procedit ad gradus Altaris manibus junctis; ibique ge-*

*nuflexus aliquantulùm orat. Tum surgens, sacram pyxidem è loco suo depromit, factâ priùs genuflexione. Intereà minister, accenso priùs saltem uno cereo in Altari, ad cornu Epistolæ, versus idem Altare genuflexus, dicit :* Confiteor. *Quo dicto, Sacerdos facta iterùm coram Sacramento genuflexione, vertit se ad populum, & manibus ante pectus junctis dicit :* Misereatur vestri, *&c. & addit :* Indulgentiam, absolutionem, ✠ & remissionem peccatorum vestrorum tribuat vobis omnipotens & misericors Dominus. ℟. Amen. *Dum dicit,* Indulgentiam, *manu dextrâ in formam crucis signat communicandos.*

*Tum factâ iterum genuflexione, accipit sacram pyxidem, manu sinistrâ eam tenens cum purificatorio nonnihil propendente, ad extergendos quandoque pollicem & indicem dextræ manus; ne, si fortè iis saliva communicantium adhæreat, sacra Hostia implicetur, oriaturque periculum lapsûs aut irreverentiæ. Dextrâ verò accipit unam ex particulis consecratis, eamque inter pollicem & indicem aliquantulum super pyxidem aut patenam elevans, vertit se ad populum in medio altaris : (nisi Sacramentum sit ibi discoopertum seu expositum; alioquin ad latus Evangelii :) eamque exhibet adorandam, dicens clarâ & distinctâ voce :* Ecce Agnus Dei, ecce qui tollit peccata mundi. *Mox subdit ter :*

Domine non sum dignus, ut intres sub tectum meum; sed tantùm dic verbo, & sanabitur anima mea.

*Posteà ad communicandum accedit, incipiens ab iis qui sunt ad partem Epistolæ, & singulis reverenter & cautè distribuit particulam, faciens cùm ea signum Crucis super pyxidem, & dicens:* Corpus Domini nostri Jesu Christi custodiat animam tuam in vitam æternam, Amen.

*Communione peractâ, Sacerdos ad medium altaris reversus, diligenter advertat, ut si aliquod fragmentum digitis adhæserit, illud in pyxidem deponat, & eosdem digitos, quibus Sacramentum tetigit, abluat & abstergat, ablutiòque in Sacrarium projiciatur. Deinde pyxidem reponat in tabernaculo; & postremò, manu dextrâ benedicens iis qui communicarunt, dicat:* Benedictio Dei omnipotentis, Patris, ✠ & Filii, & Spiritus sancti descendat super vos, & maneat semper. ℟. Amen.

*Si verò infra Missæ Sacrificium Sacramentum Eucharistæ administrandum sit, servabitur ritus initio Missalis* §. 10. *n.* 6. *descriptus.*

# RITUS DEFERENDI EUCHARISTIAM AD INFIRMOS.

*SAcerdos lotis manibus, mundo superpelliceo, & stolâ convenienti ornatus, procedit ad gradus Altaris, manibus junctis, ibique genuflexus aliquantulùm orat. Tum surgit, & ad tabernaculum Corporis Christi accedens, sacram pyxidem, factâ priùs genuflexione, depromit, eamque ambabus manibus tenens, benedictionem impendit præsentibus.*

*Tum subit umbellam, nudo capite, & gradu ad pietatem accomodato processurus, præcedente Custode etiam in superpelliceo, cum lumine, & campanulæ sonitu.*

*Ubi Sacerdos ægri domum fuerit ingressus, dicat:* Pax huic domui. ℟. Et omnibus habitantibus in ea. *Ad infirmum conversus, eum cum Sanctissimo Sacramento benedicat. Deinde depositum illud super Corporale, quod semper conferetur, mensâ honestè stratâ cum alba mappa, cruce, lumine & aqua benedicta, genuflexus adoret, atque omnibus qui adsunt, in genua similiter procumbentibus, dicat:* Adjutorium nostrum in nomine Domini. ℟. Qui

fecit cœlum & terram. *Vers.* Domine exaudi orationem meam. ℞. Et clamor meus ad te veniat. ℣. Dominus vobiscum. ℞. Et cum spiritu tuo.

O R E M U S.

OMnipotens & misericors Deus, quæsumus immensam pietatem tuam, ut ad introitum humilitatis nostræ, famulum tuum, (famulam tuam) *N.* in hoc habitaculo ægrotantem, salutiferè visitare digneris, sicut visitasti Tobiam & Saram, socrum Petri, & servum Centurionis, ut sanitate animæ & corporis per tuam visitationem receptâ, gratiarum tibi in Ecclesia referat actionem. Per Christum Dominum nostrum. ℞. Amen.

*Tum surgens, & factâ Sacramento genuflexione, accedit ad infirmum, eumque aspergit aquâ benedictâ, dicens:* Asperges eum (eam) Domine hyssopo, et mundabitur; lavabis eum, (eam,) & super nivem dealbabitur.

*Deinde blandè & leniter infirmum alloquitur; & interroget an nihil confitendum occurrat, ut benè dispositus sit ad suscipiendum hoc sacrum Viaticum. Tunc breviter illi proponat fidem hujus mysterii necessariam, hoc vel simili modo:* Nosti, quòd sancta Mater Ecclesia Catholica Romana credat & doceat, quòd Corpus & Sanguis Jesu Christi, cum ejus anima & divinitate, verè & realiter contineatur in hoc Sacramento; quodque mysterium hoc ineffabile per-

ficiatur per virtutem & potentiam ejus, cui nihil impossibile est. Talis est fides omnium fidelium Christianorum. Credìsne hoc similiter? *Respondeat infirmus:* Credo toto corde, & propono per Dei gratiam vivere & mori in hac eadem fide.

HEt is ulieden kennelyk, dat onze Moeder de heylige Katholyke Roomsche Kerke gelooft ende leert, dat het Lichaem ende Bloed van Jesus Christus, met zyne Ziele ende Godheyd waerachtelyk ende wezentlyk besloten is in dit Sacrament; ende dat dit onsprekelyk mysterie volbragt word door de kragt ende magt van den genen aen wie niet onmogelyk en is. Zulks is het geloove van alle de opregte Christene Geloovige. Gelooft gy ook het zelve? *Resp.* Ik geloove insgelyks uyt myn gansche herte: ende door de gratie Gods ik neme voor my te leven ende te sterven in het zelve Geloof.

Il vous est notoire, que nôtre Mère la sainte Eglise Catholique Romaine croit et enseigne, que le Corps et le Sang de Jesus-Christ, avec son Ame et sa Divinité véritablement et réellement est contenu en ce Sacrement; et que ce mystère ineffable s'accomplit par la vertu et la puissance de celui, à qui il n'y a rien d'impossible. Telle est la

Foi de tous les Fidèles Chrétiens. Croyez-vous ainsi pareillement? *Resp.* Je le crois de tout mon cœur; et propose par la grace de Dieu de vivre et de mourir en cette même Foi.

*Deinde Sacerdos spem excitet, & ad actum charitatis Dei super omnia adhortetur, ac instet ùt cum amore Christum Jesum infinitè bonum accipiat: inducatur etiam, ut si quos verbo aut facto umquam offenderit, veniam ab iis petat, ipseque vicissim injurias sibi illatas, omnibus ex animo condonet. Quæ omnia nomine infirmi ad alleviandum eum poterit Sacerdos explicare.*

*His peractis fiet de more Confessio generalis, & Sacerdos dicet:* Misereatur, &c. Indulgentiam, &c. *Tum Hostiam in manu tenens hortetur ægrum lingua vernacula, ut humiliter Jesum Christum adoret, dicendo ter:* Domine non sum dignus ut intres sub tectum meum; sed tantùm dic verbo, & sanabitur anima mea. *Deinde inter porrigendum:* Corpus Domini nostri Jesu Christi custodiat animam tuam in vitam æternam, Amen.

*Deinde datâ ablutione, coram Sacramento super mensa deposito genuflexus dicat Vers.* Salvum fac servum tuum. (Salvam fac ancillam tuam) *Resp.* Deus meus sperantem in te. *Vers.* Mitte ei auxilium de

sancto. *Resp.* Et de Sion tuere eum. (eam) *Vers.* Esto ei Domine turris fortitudinis. *Resp.* A facie inimici. *Vers.* Domine exaudi orationem meam. *Resp.* Et clamor meus ad te veniat *Vers.* Dominus vobiscum. *Resp.* Et cum spiritu tuo.

OREMUS.

DOmine sancte, Pater omnipotens, æterne Deus; te supplices deprecamur, ut huic famulo tuo (famulæ tuæ) sacrosanctum Corpus Domini accipienti, ad animæ & corporis ejus prosit remedium sempiternum. Per eumdem Christum Dominum nostrum. ℟. Amen.

*Deinde moneat ægrum, ut gratias Deo agat de tam immenso ejus beneficio, & in ejus bonitate, benignitate, & misericordia securè quiescat, sese offerens divinæ voluntati paratum, sive ad mortem, sive ad vitam, dicendo cum Davide:* Si ambulavero in medio umbræ mortis, non timebo mala, quoniam tu mecum es. *vel:* Quid retribuam Domino pro omnibus quæ retribuit mihi? Calicem salutaris accipiam, & nomen Domini invocabo, id est calicem patientiæ, & perpetuæ in divinam voluntatem resignationis. *Aut quid hujusmodi.*

*His expletis, si altera particula Sacramenti superfuerit: (superesse semper debet, præterquam in casu, in decretis hujus Diœcesis expresso:) genuflectit, surgit, &*

*accipiens pyxidem cum Sacramento, facit cum eo signum crucis super infirmum, nihil dicens: & reverenter illud deferens, ordine quo venerat revertitur ad Ecclesiam, dicendo Psalmum:* Laudate Dominum de cœlis, *&c., & alios Psalmos ac hymnos, prout tempus feret.*

*Cùm pervenerit ad gradus Altaris, vel ad ostium Chori, vertens se ad populum genuflexum, dicit:* Pater noster. *Posteà cum Sacramento facit signum crucis super illum, nihil dicens. Postremò, indulgentiis publicatis, illud in loco suo reponat.*

1. *Quod si ob difficultatem itineris, vel alia de causa, eâ quâ decet veneratione Sacramentum ad Ecclesiam commodè reportari non potest, vel sumpta fuerit una tantùm particula consecrata; tunc eâ infirmo administratâ, Sacerdos prædictis precibus recitatis, eum manu benedicit, & unà cum aliis, privato habitu, extinctis luminibus, umbellâ demissâ, latente pyxide, nolâ silente, ad Ecclesiam, vel domum quisque suam revertatur.*

2. *Porrò, si quæ necessitas urgeat, prudentiæ Parochi relinquitur, ut possit omissis, ex iis quæ hîc pro infirmorum Communione præscripta sunt, non necessariis, statim ad communicandum infirmum accedere. Sicut solertiæ ejusdem permittitur, exhortationes pro temporis & personarum ratione variare.*

# DE SACRAMENTO
# EXTREMÆ UNCTIONIS.

1. *EXtremæ Unctionis Sacramentum à Christo Domino institutum tamquam cœlestis medicina, non animæ solùm, sed etiam corpori salutaris, omni studio ac diligentiâ, periculosè ægrotantibus adhibendum est; & eo quidem tempore, si fieri possit, cum illis adhuc integra mens & ratio viget; ut ad uberiorem Sacramenti gratiam percipiendam, ipsi etiam suam fidem ac piam animi voluntatem conferre possent, dum sacro liniuntur Oleo.*

2. *In quo illud in primis ex generali Ecclesiæ consuetudine observandum est, ut si tempus & infirmi conditio permittat, ante Extremam Unctionem, Pœnitentiæ & Eucharistiæ Sacramentum infirmis præbeatur.*

3. *Habeat igitur Parochus loco nitido & decenter ornato, in vase argenteo, vel saltem stanneo, diligenter custoditum sacrum Oleum infirmorum, quod singulis annis, Feriâ quintâ in Cœna Domini ab Episcopo benedictum, veteri combusto, ac cineribus in Sacrarium missis, renovandum est.*

4. *Debet autem hoc Sacramentum infirmis præberi, qui cùm ad usum rationis*

*pervenerint, tam graviter laborant, ut mortis periculum imminêre videatur; & iis qui præ senio deficiunt, & in diem videntur morituri, etiam sine alia infirmitate.*

5. *Infirmis autem, qui, dum sanâ mente & integris sensibus essent, illud petierunt, seu verisimiliter petiissent, seu dederint signa contritionis; etiamsi deinde loquelam amiserint, vel amentes effecti sint, vel delirent, aut non sentiant, nihilominus præbeatur; nisi infirmus phrænesi vel amentiâ laborans, verisimiliter posset quidquam facere contra reverentiam Sacramenti: tunc enim supersedendum erit, donec periculum tolatur omnino.*

6. *In eadem infirmitate Sacramentum hoc iterari non debet, nisi diuturna sit; ut cum infirmus convaluerit, iterum in periculum mortis incidit.*

7. *Quinque verò corporis partes præcipuè inungi debent; nempe oculi, aures, nares, os, & manus, & insuper juxta Ecclesiæ nostræ consuetudinem, etiam pectus. Ubi paria sunt corporis membra, singula inungantur, pronuntiatâ simul verborum formâ. Si quis autem sit aliquo membro mutilatus, loco illi proximo inungatur.*

8. *Si verò inungendus sit Presbyter, manus illius exterius (sicuti aliorum interius) inungantur.*

9. *Si quis autem laborat in extremis, & periculum immineat, ne decedat antequam finiantur unctiones, citò ungatur, incipiendo ab eo loco:* Per istam sanctam unctionem, *&c. ut infra: deinde, si adhuc supervivat, dicantur Orationes prætermissæ, suo loco positæ. Si verò dum inungitur, infirmus decedat; Presbyter ultra non procedat, & prædictas Orationes omittat.*

10. *Quod si dubitat an vivat, unctionem prosequatur sub conditione:* Si vivis, per istam sanctam *&c.*

# ORDO MINISTRANDI
## *SACRAMENTUM*
# EXTREMÆ UNCTIONIS.

*QUatenus fieri poterit, Parochus parari curet apud infirmum mensam mappâ candidâ coopertam, itemque vas vel pelvim cum stuppa vel lino in sex globulos distincto, imaginem Crucifixi, & unum saltem cereum accensum, cum aqua benedicta. Ipse verò, superpelliceo indutus ac stolâ, præcedente Custode cum superpelliceo & lumine, absque sonitu campanulæ, ad domum ægri acceptum secum Oleum infirmorum deferens, & ejus cubiculum intrans,*

*dicat Vers.* Pax huic domui. *Resp.* Et omnibus habitantibus in ea.

*Tum depositâ ampullâ* Olei *sacri super mensam paratam, aspergit ægrum aqua benedicta, dicens:* Asperge eum (eam) Domine, & mundabitur: lava eum, (eam,) & super nivem dealbabitur.

*Hoc facto, piis verbis eum alloquatur & consoletur. Quod si voluerit confiteri, audiat illum, & absolvat, & de hujus Sacramenti vi, efficacia & effectibus, si tempus ferat, breviter admoneat, & quantum opus sit: ejus animum confirmet, & in spem erigat vitæ æternæ; monendoque illum disponat, ut hos effectus consequi mereatur. Tum adstantes hortetur, ut secum pro infirmo orent, & stans dicat Vers.* Adjutorium nostrum in nomine Domini. *Resp.* Qui fecit cœlum & terram. *Vers.* Domine exaudi orationem meam. *Resp.* Et clamor meus ad te veniat. *Vers.* Dominus vobiscum. *Resp.* Et cum spiritu tuo.

OREMUS.

OMnipotens & misericors Deus, qui Sacerdotibus tuis præ cæteris tantam gratiam contulisti, ut quidquid in tuo nomine dignè perfecteque ab eis agitur, à te fieri credatur, quæsumus immensam clementiam tuam, ut quidquid modò visitaturi sumus, visites; quidquid benedicturi, benedicas;

sitque ad nostræ humilitatis introitum, Sanctorum tuorum meritis, fuga dæmonum, & Angeli pacis ingressus. Per Christum Dominum nostrum. ℟. Amen.

*Deinde flectens genua versus sacrum Oleum, dicat (si status ægroti & temporis ratio videatur postulare) Antiphonam.* Parce Domine Jesu Christe, parce famulo tuo, quem (famulæ tuæ, quam) redemisti sanguine tuo; ne in æternum irascaris ei.

*Tum subjungat Psalmum* 50.

MIserere mei Deus, secundùm magnam misericordiam tuam.

Et secundùm multitudinem miserationum tuarum, dele iniquitatem meam.

Amplius lava me ab iniquitate mea: & à peccato meo munda me.

Quoniam iniquitatem meam ego cognosco: & peccatum meum contra me est semper.

Tibi soli peccavi, & malum coram te feci: ut justificeris in sermonibus tuis, & vincas cùm judicaris.

Ecce enim in iniquitatibus conceptus sum: & in peccatis concepit me mater mea.

Ecce enim veritatem dilexisti: incerta & occulta sapientiæ tuæ manifestasti mihi.

Asperges me hyssopo, & mundabor: lavabis me, & super nivem dealbabor.

Auditui meo dabis gaudium & lætitiam: & exultabunt ossa humiliata.

Averte faciem tuam à peccatis meis: & omnes iniquitates meas dele.

Cor mundum crea in me Deus: & spiritum rectum innova in visceribus meis.

Ne projicias me à facie tua: & Spiritum Sanctum tuum ne auferas à me.

Redde mihi lætitiam salutaris tui: & spiritu principali confirma me.

Docebo iniquos vias tuas: & impii ad te convertentur.

Libera me de sanguinibus Deus, Deus salutis meæ: & exultabit lingua mea justitiam tuam.

Domine labia mea aperies: & os meum annuntiabit laudem tuam.

Quoniam si voluisses sacrificium, dedissem utique: holocaustis non delectaberis.

Sacrificium Deo spiritus contribulatus: cor contritum & humiliatum Deus non despicies.

Benignè fac Domine in bona voluntate tua Sion: ut ædificentur muri Jerusalem.

Tunc acceptabis sacrificium justitiæ, oblationes, & holocausta: tunc imponent super altare tuum vitulos.

Gloria Patri, & Filio, & Spiritui sancto.

Sicut erat in principio, & nunc & semper, & in sæcula sæculorum, Amen.

*Antiphona.* Parce Domine Jesu Christe, parce famulo tuo, quem (famulæ tuæ, quam) redemisti sanguine tuo; ne in æternum irascaris ei.

*Recitentur Litaniæ breves, in quibus suo loco recensetur nomen Patroni Parochialis Ecclesiæ, nec non ægri inungendi.*

KYrie eleïson. Christe eleïson. Kyrie eleïson. Christe audi nos. Christe exaudi nos.

| | |
|---|---|
| Pater de cœlis Deus, | Miserere ei. |
| Fili Redemptor mundi Deus, | Miserere ei. |
| Spiritus sancte Deus, | Miserere ei. |
| Sancta Trinitas unus Deus, | Miserere ei. |
| Sancta Maria, | Ora pro eo. (ea.) |
| Sancta Dei genitrix, | ora pro eo. (ea.) |
| Sancta Virgo Virginum, | ora pro eo. (ea.) |
| Sancte Michaël, | ora. |
| Sancte Gabriël, | ora. |
| Sancte Raphaël, | ora. |
| Omnes sancti Angeli & Archangeli, | orate pro eo. (ea.) |
| Sancte Joannes Baptista, | ora. |
| Omnes sancti Patriarchæ & Prophetæ, | orate pro eo. (ea.) |
| Sancte Petre, | ora. |
| Sancte Paule, | ora. |
| Sancte Andrea | ora. |
| Sancte Jacobe, | ora. |
| Sancte Joannes, | ora. |
| Sancte Luca, | ora. |
| Sancte Marce, | ora. |
| Omnes sancti Apostoli & Evangelistæ, | orate. |
| Omnes sancti Innocentes, | orate. |
| Sancte Stephane, | ora. |

Sancte Laurenti, ora.
Sancte Corneli, ora.
Sancte Cypriane, ora.
Sancte Livine, ora.
Omnes sancti Martyres, orate.
Sancte Silvester, ora.
Sancte Gregori, ora.
Sancte Ambrosi, ora.
Sancte Augustine, ora.
Sancte Hieronyme, ora.
Sancte Bavo, ora.
Sancte Benedicte, ora.
Sancte Bernarde, ora.
Omnes sancti Confessores, orate.
Sancta Maria Magdalena, ora.
Sancta Anna, ora.
Sancta Catharina, ora.
Sancta Agnes, ora.
Sancta Barbara, ora.
Omnes sanctæ Virgines & Viduæ, orate.
Omnes sancti & sanctæ Dei, Intercedite pro eo. (ea.)
Propitius esto, Parce ei Domine.
Propitius esto, Libera eum (eam) Domine.
Ab ira tua, libera.
Ab omni peccato, libera.
Ab improvisa & mala morte, libera.
Ab infestationibus dæmonum, libera.
Ab omni malo, libera.
Per Incarnationem & Nativitatem tuam, libera.
Per Crucem & Passionem tuam, libera.

Per gloriosam Resurrectionem tuam, libera.
Per admirabilem Ascensionem tuam, libera.
In hora mortis, & die Judicii, libera.
Peccatores, Te rogamus audi nos.
Ut remissionem omnium peccatorum ei dones, te rogamus audi nos.
Ut sanitatem animæ & corpores ei dones, te rogamus audi nos.
Ut gratiam & consolationem sancti Spiritus cordi ejus iufundere digneris, te rogamus audi nos.
Fili Dei, te rogamus audi nos.
Agnus Dei, qui tollis peccata mundi, Parce ei Domine.
Agnus Dei, qui tollis peccata mundi, Miserere ei Domine.
Agnus Dei, qui tollis peccata mundi, Dona ei pacem.
Kyrie eleïson. Christe eleïson. Kyrie eleïson. Pater noster. *secretò.* ℣. Et ne nos inducas in tentationem. ℟. Sed libera nos à malo. *Vers.* Domine exaudi orationem meam. *Resp.* Et clamor meus ad te veniat. *Vers.* Dominus vobiscum. *Resp.* Et cum spiritu tuo.

## OREMUS.

DOmine Deus, qui per Apostolum tuum locutus es: Infirmatur quis in vobis? inducat Presbyteros Ecclesiæ, & orent super eum, ungentes eum oleo, in nomine Domini, & oratio fidei salvabit infirmum, & alleviabit

eum Dominus: & si in peccatis sit, dimittentur ei. Cura quæsumus, Redemptor noster, per hanc nostram unctionem & deprecationem languores istius infirmi (infirmæ) gratiâ Spiritus sancti, & ejus sana vulnera, atque dimitte peccata, ac dolores cunctos ab eo (ea) repelle, & plenam ei interiùs exteriùsque sanitatem misericorditer redde; ut ope misericordiæ tuæ restitutus, (restituta) & sanatus (sanata) ad pristina reparetur officia. Per Christum Dominum nostrum. ℟. Amen.

OREMUS.

OMnipotens, mitissime Deus; respice propitius preces nostras, & libera cor famuli tui (famulæ tuæ) de malarum cogitatione tentationum, ut dignum sancti Spiritus habitaculum fieri mereatur, nullisque iniquitatibus à te separatus, (separata) tibi Domino Deo valeat semper adhærere. Per Christum Dominum nostrum. ℟. Amen.

*Hic linum vel stuppam habeat Sacerdos paratam ad detergendum Oleum sacrum, & dicat ipse Sacerdos:* Sit tibi hæc unctio Olei sanctificati ad purificationem mentis & corporis, & ad munitionem ac defensionem contra sævá jacula immundorum spirituum. ℟. Amen.

*Deinde subjungat:* Pax tecum. ℟. Et cum spiritu tuo.

### *Ad oculos.*

PEr istam sanctam Unctionem, ✠ & suam piissimam misericordiam, indulgeat tibi Deus, quidquid deliquisti per visum: In nomine Patris, & Filii, & Spiritus sancti. ℟. Amen.

*Post abstersionem oculorum dicat:* Pax tecum. *Resp.* Et cum spiritu tuo.

### *Ad aures.*

Per istam sanctam Unctionem, ✠ & suam piissimam misericordiam, indulgeat tibi Deus, quidquid deliquisti per auditum: In nomine Patris, & Filii, & Spiritus sancti. ℟. Amen.

*Post abstersionem aurium dicat:* Pax tecum. *Resp.* Et cum spiritu tuo.

### *Ad nares.*

Per istam sanctam Unctionem, ✠ & suam piissimam misericordiam, indulgeat tibi Deus, quidquid deliquisti per olfactum: In nomine Patris, & Filii, & Spiritus sancti ℟. Amen.

*Post abstersionem narium dicat:* Pax tecum. *Resp.* Et cum Spiritu tuo.

### *Ad labia.*

Per istam sanctam Unctionem, ✠ & suam piissimam misericordiam, indulgeat tibi Deus, quidquid deliquisti per gustum: In nomine Patris, & Filii, & Spiritus sancti. ℟. Amen.

*Post abstersionem labiorum dicat:* Pax tecum. *Resp.* Et cum spiritu tuo.

*Ad pectus.*

Per istam sanctam Unctionem, ✠ & suam piissimam misericordiam, indulgeat tibi Deus, quidquid deliquisti per cogitationes & affectus : In nomine Patris, & Filii, & Spiritus sancti. ℞. Amen.

*Post abstersionem pectoris dicat :* Pax tecum. *Resp.* Et cum spiritu tuo.

*Ad manus.*

Per istam sanctam Unctionem, ✠ & suam piissimam misericordiam, indulgeat tibi Deus, quidquid deliquisti per tactum : In nomine Patris, & Filii, & Spiritus sancti. ℞. Amen.

*Posteà, inter abstergendum manus, dicat rursum Sacerdos :* Sit tibi hæc unctio Olei sanctificati ad purificationem mentis & corporis, & ad munitionem ac defensionem contra sæva jacula immundorum spirituum. ℞. Amen.

OREMUS.

DEus humani generis benignissime conditor, & misericordissime reformator, qui hominem invidiâ diaboli, ab æterna felicitate dejectum, unici Filii tui sanguine redemisti ; quique subvenis laborantibus in periculis & necessitatibus : respice de cœlo, & visita famulum tuum, (famulam tuam,) & benedic eum, (eam,) sicut benedicere dignatus es Abraham, Isaäc, & Jacob : reple eum

(eam) omni gaudio & lætitiâ; expelle ab eo (ea) omnes inimici insidias, & mitte ei Angelum pacis, qui eum (eam) in angustiis positum (positam) consolationibus tuis attollat, quibus in præsenti consequatur auxilium, & æterna remediat comprehendat. Per Christum Dominum nostrum. ℟. Amen.

*Sequuntur Benedictiones.*

DOminus Jesus Christus apud te sit, ✠ ut te defendat; intra te sit, ✠ ut te deducat; post te sit, ✠ ut te justificet; ante te sit, ✠ ut te conservet; super te sit, ✠ ut te benedicat. Qui vivit & regnat Deus in sæcula sæculorum. ℟. Amen.

Benedicat te ✠ Deus Pater, qui in principio cuncta creavit. Benedicat te ✠ Deus Filius, qui de supernis sedibus pro nobis Salvator descendit. Benedicat te ✠ Spiritus sanctus, qui in specie columbæ super Christum in Jordane requievit. Ipse te in Trinitate sanctificet, quem omnes gentes venturum expectant ad Judicium. Qui in Trinitate perfecta vivit & regnat Deus, per omnia sæcula sæculorum. ℟. Amen.

Benedictio ✠ Dei Patris, & Filii, & Spiritus sancti, descendat super te, & maneat semper. ℟. Amen.

*Porrò, ubi infirmus brevioris vitæ videbitur, quàm ut prædicta omnia servari possint; Sacerdos primò administrabit ip-*

*sum Sacramentum, ungendo in sensibus & pectore prout suprà: posteà verò, juxta temporis aut rerum exigentiam, ea peraget quæ priùs omissa erant.*

1. *His peractis, Sacerdos, pro personæ qualitate, salutaria monita breviter præbere poterit, quibus infirmus, ad Deo gratias agendum, ob tam singulare beneficium, incitetur; ad morbi molestias patienter ferendas, & ad moriendum in Domino confirmetur, ac ad fugandas dæmonum tentationes roboretur.*

2. *Habebit igitur in promptu argumenta quædam pia, & Sanctorum exempla, quibus infirmum consoletur, atque confortet; ita tamen opportunè & discretè suggerantur, ne ægro molestia sed levamen afferatur.*

3. *Parochus, diutiùs durante morbo, ægrotum cui omnia Sacramenta administravit, non deserat; sed sæpè visitet, & subinde inquirat an perduret bona conscientiæ dispositio; & monebit ut interdum Eucharistiæ Sacramentum suscipiat.*

4. *Ingravescente autem morbo, incitabit, ut sepositis amicorum blanditiis, fiduciâ longioris vitæ, aut medicorum consiliis, spem suam in Deo ponat: & dum mente adhuc valet, hortabitur ad eliciendos crebrò actus Fidei, Spei & Charitatis, Contritionis, Patientiæ, aliarumque virtutum; & ad invocandum patrocinium B. Mariæ Virginis, aliorumque Sanctorum.*

*5. Suadebit etiam, si fuerit opportunum, ut dum integrâ mente est, rem suam omnem rectè instituat, & testamentum faciat; si quid habeat alienum, restituat; & ad remedium animæ suæ, pro facultatibus, quod in Domino ei placuerit, disponat: sed hæc suggerendo, omnis avaritiæ nota caveatur.*

*6. Instante mortis periculo, hortabitur ut firmiter credat omnes Articulos Fidei, & quidquid sancta Romana Ecclesia Catholica & Apostolica credit & docet.*

*Ut speret, Christum Dominum nostrum pro sua immensa clementia sibi fore propitium, & merito ejus sanctissimæ Passionis, & per intercessionem B. Mariæ Virginis, & omnium Sanctorum, se vitam æternam consecuturum.*

*Ut toto corde diligat, & maximè diligere cupiat Dominum Deum; eâ dilectione, quâ illum diligunt beati Sanctique omnes.*

*Ut ob amorem Dei doleat ex corde, de omni offensa, qualitercumque contra Dominum Deum, & proximum commissa.*

*Ut ex corde ob amorem Dei ignoscat omnibus qui sibi quoquomodo fuerint molesti, aut inimici.*

*Ut ab iis veniam postulet, quos aliquando dictis aut factis offendit.*

*Ut quem patitur dolorem, & morbi molestiam, propter Deum, in pœnitentiam peccatorum suorum patienter toleret.*

*Ut si Dominus sibi salutem corporis præstare dignabitur, proponat de cetero pro viribus suis à peccatis cavere, & ejus mandata servare.*

*Hæc & his similia poterit prudens Parochus vulgari aut latino sermone, pro personæ captu, infirmo periculosè laboranti, vel morienti suggererè. Quo facto, Sacerdos resumpto Olei vasculo revertitur ad Ecclesiam, pias secum preces è Psalmis vel aliunde recitans: & reversus ad Ecclesiam, commendet infirmum precibus fidelium.*

*Si autem contigerit infirmum mori antequam Sacerdos domum fuerit egressus, statim fiat, animæ commendatio in hunc modum.*

Subvenite Sancti Dei, occurrite Angeli Domini, suscipientes animam ejus, offerentes eam in conspectu Altissimi. Suscipiat te Christus, qui vocavit te; & in sinum Abrahæ Angeli deducant te. Requiem æternam dona ei Domine: Et lux perpetua luceat ei. Kyrie eleïson. Christe eleïson. Kyrie eleïson. Pater noster. *secretò.* ℣. Et ne nos inducas in tentationem. ℟. Sed libera nos à malo. *Vers.* A porta inferi. *Resp.* Erue Domine animam ejus. ℣. Requiescat in pace. ℟. Amen. ℣. Domine exaudi orationem meam. ℟. Et clamor meus ad te veniat. ℣. Dominus vobiscum. ℟. Et cum spiritu tuo.

OREMUS.

TIbi, Domine, commendamus animam famuli tui N. (famulæ tuæ N.) ut defunctus (defuncta) sæculo tibi vivat; & quæ per fragilitatem humanæ conversationis peccata commisit, tu veniâ misericordissimæ pietatis absterge. Per Christum Dominum nostrum. ℟. Amen.

*Vers.* Requiescat in pace. *Resp.* Amen.

*Et aspergatur corpus defuncti aquâ benedictâ.*

# DE SPONSALIBUS.

1. *MAtrimonii Sacramentum, ex sancti Concilii Tridentini præscripto, Ecclesiæque consuetudine, & justas ob causas, præcedere debent sponsalia.*

2. *Ea igitur celebraturus Parochus, Superpelliceo & stolâ, seu paramento officii indutus, in Ecclesia, aut saltem in honestis ædibus (non autem in tabernis, aliisque locis minùs honestis) constitutus, videat an contracturi non sint potu gravati, an adsint utriusque partis parentes, vel tutores, aut aliqui illorum nomine; sine quibus,*

*vel absque eorum consensu, in re tanti momenti temerè non est procedendum.*

3 *Inquirat Parochus, quatenùs opus fuerit, an contracturi non sciant, inter sese aliquod subesse impedimentum Canonicum.*

4. *Interrogentur, an sint confirmati, & an calleant Fidei rudimenta. Qui si negativè respondeant, moneantur ut ea addiscant, & confirmentur, antequam matrimonio jungantur; ac ut præcipuè ea calleant, quæ maximè scitu necessaria sunt, v. g. mysterium Sanctissimæ Trinitatis, Incarnationis Dominicæ, Sacramentum Pœnitentiæ, & Eucharistiæ.*

5. *Si unus desponsandorum sit alterius Parochiæ vel Diœcesis, Pastor non assistat Sponsalibus, nisi visâ attestatione Pastoris istius desponsandi, quâ sibi constet eum solutum esse, Catholicum, & sufficienter rudimentis Fidei imbutum.*

---

# RITUS ET FORMA *CELEBRANDI* SPONSALIA.

P*Arochus in habitu convenienti, constitutis ante se futuris conjugibus, compellabit primò sponsum futurum, ex nomine &*

*cognomine*, *interrogans* : N. venisti huc tuâ liberâ voluntate, & spontè, à nullo coactus, nec ulli alii aligatus, ut promittas te ducturum in legitimam uxorem N. hîc præsentem?

*Quo affirmativè respondente, sub eadem verborum forma rogabit futuram sponsam; quâ idem respondente, Parochus, datis sibi invicem dextris, dicet sponso futuro, ut post se proferat sequentia:*

Ego N. in præsentia astantium promitto me daturum fidem meam tibi N. quam hîc manu teneo, & te ducturum in legitimam uxorem meam, si Mater nostra Ecclesia consensum tribuerit.

*Flandricè sic:*

Ik N. in de presentie van deze getuygen belove myne trouwe te geven aen u N. die ik met'er hand houde; ende u te nemen voor myne wettelyke Huysvrouwe, is 't dat het onze Moeder de heylige Kerke gedoogt.

*Gallicè sic:*

Je N. en présence de ces témoins, promets de donner ma foi de mariage à vous N. que je tiens par la main, et de vous prendre pour ma léale Epouse, si notre Mère la sainte Eglise y consente.

*Promissione sic mutuo factâ, subjungat Sacerdos* : Et ego tamquam minister Eccle-

siæ Dei, ejus nomine hanc vestram mutuam promissionem accepto & approbo, in nomine Patris, & Filii, ✠ & Spiritus sancti, Amen.

*Porrò subjunget Parochus hanc monitiunculam vernaculâ linguâ:* Seriò vos moneo, nomine sanctæ Matris Ecclesiæ, & requiro, ut infra quadraginta dies procedatis ad matrimonium jam promissum, legitimè in facie Ecclesiæ contrahendum; denuncians vobis, ne anteà sub eodem tecto simul habitetis, nec invicem carnale commercium habeatis.

1. *His peractis, Parochus, novis sponsis apprecato prospero successu, admonebit eos de proclamationibus, quæ fieri debent tribus diebus Dominicis, seu Festis, sub concione, vel post eam, aut infra Missarum solemnia. Et in Ecclesiis Parochialibus civitatis Gandensis, oppidorum Teneramundani, Aldenardensis, Donsani, Tiletani, nec non locorum Sancti Nicolai, & Lokeren Wasiæ, etiam feriis quintis infra Missam venerabilis Sacramenti, solemniter ibidem celebrari solitam. Monebit insuper eos de præmittenda Confessione & Communione ante Matrimonii solemnizationem.*

2. *Proclamationes autem hujusmodi fiant in locis, ubi sponsi maximè noti sunt, si diversarum sint Parochiarum aut Diœcesium; exprimendo nomen loci seu Parochiæ alterius futuri conjugis. Sed antequam*

*hujusmodi proclamationes fiant, Parochus, qui sponsalia celebravit, scribat ad alterius Pastorem, prædicta sponsalia à se fuisse celebrata; quatenus unà secum desponsorum proclamationes legitimè faciat: quibus præmissis, Parochus sponsi rescribet sponsæ Parocho (juxta formulas infrà descriptas) ut is ad matrimonii solemnizationem procedere valeat.*

3. *Si verò dispensatio super una aut duabus proclamationibus legitimè obtenta fuerit, ea publicabitur, unâ vel alterâ proclamatione faciendâ.*

4. *Denique describat Sacerdos nomina contrahentium, & testium, diemque quo hujusmodi Sponsalia sunt contracta, in registro ad similia conficiendo, juxta formulam infra expressam.*

# DE SACRAMENTO MATRIMONII.

1. P*Arochus sit probè instructus in iis quæ sunt de essentia & validitate Matrimonii. Item de ejusdem impedimentis, tam impedientibus, quàm dirimentibus; eaque (saltem maximè obvia, & communiter in*

*praxi occurentia) subinde pro concione popopulo explicet.*

2. *Matrimoniis eorum qui vagantur, & incertas habent sedes, Parochi assistere non possunt; nisi priùs diligentem inquisitionem fecerint, & re ad Episcopum delatâ, ab eodem licentiam impetrarint.*

3. *Et quamvis in rigore sufficiat, Matrimonium contrahere coram alterutrius partis Parocho; laudabilis tamen est consuetudo, contrahendi coram proprio Parocho sponsæ, aut de ejus licentia coram alio Sacerdote; quæ consuetudo in hac Diœcesi semper est observanda.*

---

# RITUS ADMINISTRANDI
## *SACRAMENTUM*
# MATRIMONII.

S*Acerdos, celebraturus Matrimonii Sacramentum, factis proclamationibus, ut dictum est, vel dispensatione super iisdem legitimè obtentâ, etiam præmissâ desponsorum præcedenti die Confessione & Communione; cùm pervenerit ad Ecclesiam Parochialem, (non enim licet alibi ullos matrimonio jungere) indutus superpelliceo*

*& stolâ, interrogabit primò sponsum hoc modo:* N. venisti huc tuâ liberâ voluntate, & spontè, à nullo coactus, nec ulli alii alligatus, ut ducas in uxorem tuam N. hîc præsentem? *Quo id liberè affirmante, interrogabit similiter sponsam: quâ etiam liberè annuente, Parochus iterùm interrogabit utrumque:* Scitisne an subsit inter vos aliquod impedimentum Canonicum? *Quibus negativè respondentibus, amborum conjunctis dextris, eas stolâ involvens, Sacerdos dicat Vers.* Adjutorium nostrum in nomine Domini. *Resp.* Qui fecit cœlum & terram. *Vers.* Sit nomen Domini benedictum. *Resp.* Ex hoc nunc & usque in sæculum.

*Deinde vultu converso ad sponsum, monitoque eo ut secum perfectè pronuntiet subsequentia, dicat Parochus:*

Ego N. do tibi N. quam hîc manu teneo, meam fidem maritalem, & accipio te in meam legitimam uxorem, coram Deo & sancta ejus Ecclesia.

*Flandricè autem sic:*

Ik N. geve u N. die ik hier met'er hand hebbe, myne mannnelyke trouwe, ende neme u voor myne wettelyke Huysvrouwe, voor Godt ende zyne heylige Kerke.

*Gallicè:*

Je N. donne ma foi de mariage à vous N. que je tiens par la main, et je vous prens pour ma léale Epouse, devant Dieu et sa sainte Eglise.

*Deinde eodem modo conversus ad sponsam, dicit:* Ego N. do tibi N. quem hîc manu teneo, meam fidem conjugalem, & accipio te in meum legitimum maritum, coram Deo & sancta ejus Ecclesia.

*Flandricè sic:*

Ik N. geve u N. die ik hier met'er hand hebbe, myne vrouwelyke trouwe, ende neme u voor mynen wettigen Man, voor Godt ende zyne heylige Kerke.

*Gallicè:*

Je N. donne ma foi de mariage à vous N. que je tiens par la main, et je vous prens pour mon léal Epoux, devant Dieu et sa sainte Eglise.

*Datâ sic utrimque fide, dicat Sacerdos:* Et ego tamquam Ecclesiæ Minister, vos conjungo in matrimonium, in nomine Patris, ✠ & Filii, ✠ & Spiritus ✠ sancti, Amen.

*Tunc revolutâ stolâ à manibns eorum, acceptum, à sponso annulum benedicat hoc modo: Vers.* Adjutorium nostrum in nomine Domini. *Resp.* Qui fecit cœlum & terram.

OREMUS.

CReator & conservator humani generis, dator gratiæ spiritualis, largitor æternæ salutis: tu Domine emitte tuam benedictio-

nem ✠ super hunc annulum: ut quæ sacrosanctæ fidei signo insignita incesserit, in virtute defensionis ad æternam sibi proficiat salutem. Per Christum Dominum nostrum. ℟. Amen.

*Tunc aspersum hunc annulum aquâ benedictâ, Sacerdos simul cum sponso inseret digito annulari dextræ manus sponsæ, dicens:* Accipe annulum fidei matrimonialis in nomine Sanctissimæ Trinitatis, ut illum portans, sis armata virtute cœlestis defensionis, & proficiat tibi ad salutem æternam.

*Deinde Sacerdos faciat eos accedere ad altare, ibique flexis eorum genibus, stolâ positâ, & elevatis manibus super amborum capita, & si quidem sint primæ nuptiæ (saltem ex parte sponsæ) benedicat eis, dicens:* Deus Abraham, Deus Isaäc, Deus Jacob, Deus, qui primos nostros parentes conjunxit in paradiso, ipse vos conjungat, & in Christo benedicat, ✠ atque in societate sancta viventes, crescere faciat in sobolem. Per eumdem Christum Dominum nostrum. ℟. Amen.

### *Alia Benedictio pro hujusmodi primis nuptiis.*

DOmine Deus omnipotens, qui conjugalem conjunctionem in Christo & Ecclesia, magnum esse Sacramentum voluisti, benedicere ✠ digneris adolescentes istos conjuges tuos, & semina semen vitæ æternæ in men-

tibus eorum, ut: quidquid pro honore tuo, & utilitate sua facere didicerint, hoc facere cupiant. Per eumdem Christum Dominum nostrum. ℟. Amen.

*Hæ Benedictiones prætermitti debent in secundis sponsæ nuptiis, juxta Canones.*

*Posteà verò Sacerdos aspergat novos conjuges aquâ benedictâ, & dicat :* Aspergat vos Deus rore gratiæ suæ in vitam æternam. ℟. Amen.

*Dicat Psalmum* 127.

BEati omnes qui timent Dominum, qui ambulant in viis ejus.

Labores manuum tuarum quia manducabis: beatus es, & benè tibi erit.

Uxor tua sicut vitis abundans, in lateribus domus tuæ.

Filii tuii sicut novellæ olivarum, in circuitu mensæ tuæ.

Ecce sic benedicetur homo, qui timet Dominum.

Benedicat tibi Dominus ex Sion: & videas bona Jerusalem omnibus diebus vitæ tuæ.

Et videas filios filiorum tuorum, pacem super Israël.

Gloria Patri, &c. *ut hîc infra.*

Kyrie eleïson, &c.

*Si non sit spes prolis, legatur Psalmus* 124.

QUi confidunt in Domino, sicut mons Sion: non commovebitur in æternum, qui habitat in Jerusalem.

Montes in circuitu ejus: & Dominus in circuitu populi sui, ex hoc nunc & usque in sæculum.

Quia non relinquet Dominus virgam peccatorum super sortem justorum: ut non extendant justi ad iniquitatem manus suas.

Benefac Domine bonis, & rectis corde.

Declinantes autem in obligationes, adducet Dominus cum operantibus iniquitatem, pax super Israël.

Gloria Patri, &c.

Kyrie eleïson. Christe eleïson. Kyrie eleïson. Pater noster. *Vers.* Et ne nos inducas in tentationem. *Resp.* Sed libera nos à malo. *Vers.* Salvos fac servos tuos Domine. *Resp.* Deus meus sperantes in te. *Vers.* Mitte eis auxilium de sancto. *Resp.* Et de Sion tuere eos. *Vers.* Esto eis Domine turris fortitudinis. *Resp.* A facie inimici. *Vers.* Domine exaudi orationem meam. *Resp.* Et clamor meus ad te veniat. *Vers.* Dominus vobiscum. *Resp.* Et cum spiritu tuo.

OREMUS.

RESpice, Domine, super hanc conjunctionem; & sicut misisti sanctum Angelum tuum Raphaëlem ad Tobiam & Saram, ita mittere digneris gratiam tuam super conjuges istos, ut in tua voluntate permaneant, in tua securitate consistant, in tuo amore & mutua concordia vivant & senescant, atque multiplicentur in longitudinem dierum. Per Christum Dominum nostrum. ℟. Amen.

## OREMUS.

PRopitiare Domine supplicationibus nostris, & institutis tuis, quibus propagationem humani generis ordinasti, benignus assiste; ut quod te authore jungitur, te auxiliante, servetur. Per Christum Dominum nostrum. ℟. Amen.

*Deinde dicat:*

Benedictio Dei Patris ✠ omnipotentis, & Filii, & Spiritus sancti descendat super vos, & maneat semper. ℟. Amen.

*Sicque Parochus novos conjuges, si Sacrum priùs non audierint, mittat ad illud audiendum, dicens:* Ite in pace.

1. *Fiat autem sacrum illud, quod in Missali Romano proprium est de sponso & sponsa; præterquam in diebus Dominicis & Festis, ubi sola Missa Parochialis haberi potest, tunc enim dicetur Missa de die, cum commemoratione nuptiarum.*

2. *Post Missam verò, conjuges vicissim accedant ad altare, illudque osculentur.*

3. *Denique, Sacerdos notabit exactè diem in Registro Matrimoniali, nec non mensem & annum, ac nomina & cognomina conjugum, & insuper duorum ad minus testium, qui matrimonii solemnizationi interfuerint; idque juxta formulam infrà descriptam: quo peracto, & non antè, conjuges discedant.*

# ORDO
## AD INTRODUCENDUM MULIERES POST PARTUM
# IN ECCLESIAM.

*Quando mulier post partum, expleto certo dierum numero, ad Ecclesiam (ut moris est) purificanda accedit, Sacerdos superpelliceo & stolâ indutus, adiens ostium templi, aspergat mulierem aquâ benedictâ, dicens:* Per aquæ benedictæ aspersionem det tibi Dominus omnipotens suam gratiam & benedictionem.

*Deinde porrigens ad manum mulieris extremitatem stolæ, eam introducit in Ecclesiam, dicens:* Dominus custodiat introitum tuum, & exitum tuum, ex hoc nunc, & usque in sæculum.

*Vel:* Famula Dei N. ingredere in templum Dei, & adora Filium Beatæ Mariæ Virginis, qui tribuit tibi fœcunditatem prolis.

*Et si commodum non sit eam aspergere ad ostium templi, poterit introduci ut suprà; quo facto, Sacerdote præeunte, eat mulier*

*ad fontem aquæ benedictæ, & ibi eam aspergens Sacerdos dicat ut suprà:* Per aquæ, &c.

*Deinde Sacerdos præeundo, mulierem deducens ad altare, ibi super eam genua flectentem coram altari, sic orabit.*

*Psalmus* 120.

LEvavi oculos meos in montes, unde veniet auxilium mihi.

Auxilium meum à Domino, qui fecit cœlum & terram.

Non det in commotionem pedem tuum: neque dormitet qui custodit te.

Ecce non dormitabit, neque dormiet, qui custodit Israël.

Dominus custodit te, Dominus protectio tua super manum dexteram tuam.

Per diem sol non uret te: neque luna per noctem.

Dominus custodit te ab omni malo: custodiat animam tuam Dominus.

Dominus custodiat introitum tuum, & exitum tuum; ex hoc nunc & usque in sæculum. Gloria Patri &c.

Kyrie eleïson. Christe eleïson. Kyrie eleïson. Pater noster. *Vers.* Et ne nos inducas in tentationem. *Resp.* Sed libera nos à malo. *Vers.* Salvam fac ancillam tuam. *Resp.* Deus meus sperantem in te. *Vers.* Mitte ei Domine auxilium de sancto. *Resp.* Et de Sion

tuere eam. *Vers.* Nihil proficiat inimicus in ea. *Resp.* Et filius iniquitatis non apponat nocere ei. *Vers.* Domine exaudi orationem meam. *Resp.* Et clamor meus ad te veniat. *Vers.* Dominus vobiscum. *Resp.* Et cum spiritu tuo.

OREMUS.

OMnipotens sempiterne Deus, Pater Domini nostri Jesu Christi, benedicere ✠ digneris hanc famulam tuam, quæ ad imitationem Sanctissimæ Virginis Mariæ, sese cum gratiarum actione purificandam in templo exhibet; & concede propitius, ut, sicut ei prolis fœcunditatem, & vires templum tuum ingrediendi contulisti, ita per intercessionem ejusdem immaculatæ Virginis, ab omni mentis & corporis contagio liberatam, ad Sancta Sanctorum puris facias mentibus accedere, & post finem vitæ præsentis, templum cœleste introire. Per eundem Christum Dominum nostrum. ℟. Amen.

Et benedictio Dei Patris, ✠ & Filii, ✠ & Spiritus sancti, ✠ descendat super te, & maneat semper. ℟. Amen.

*Deinde Sacerdos faciat eam ascendere ad altare, & illud osculari, & sic dimittat illam ad audiendam Missam, (si eam priùs non audierit) & sub Offertorio, cum cereo accenso, faciendam suam oblationem. Poterit tandem Sacerdos super infante (si adferatur juxta morem ad Ecclesiam) legere Evangelium, ut sequitur.*

Initium sancti Evangelii secundùm Joannem *Resp.* Gloria tibi Domine.

IN principio erat Verbum, & Verbum erat apud Deum, & Deus erat Verbum. Hoc erat in principio apud Deum. Omnia per ipsum facta sunt: & sine ipso factum est nihil, quod factum est. In ipso vita erat, & vita erat lux hominum: & lux in tenebris lucet, & tenebræ eam non comprehenderunt. Fuit homo missus à Deo, qui nomen erat Joannes. Hic venit in testimonium, ut testimonium perhiberet de lumine, ut omnes crederent per illum. Non erat ille lux, sed ut testimonium perhiberet de lumine. Erat lux vera, quæ illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum. In mundo erat, & mundus per ipsum factus est, & mundus eum non cognovit. In propria venit, & sui eum non receperunt. Quotquot autem receperunt eum, dedit eis potestatem filios Dei fieri, his, qui credunt in nomine ejus: qui non ex sanguinibus, neque ex voluntate carnis, neque ex voluntate viri, sed ex Deo nati sunt. Et Verbum caro factum est, & habitavit in nobis: & vidimus gloriam ejus, gloriam quasi unigeniti à Patre, plenum gratiæ & veritatis ℟. Deo gratias.

*Ordo benedicendi mulierem post partum in domo, expleto tempore puerperii.*

S*Acerdos ingrediens domum mulieris quæ peperit, dicat in ingressu:* Pax huic domui.

℟. Et omnibus habitantibus in ea. ℣. Adjutorium nostrum in nomine Domini. ℟. Qui fecit cœlum & terram.

## *Psalmus* 112.

LAudate pueri Dominum: laudate nomen Domini.

Sit nomen Domini benedictum, ex hoc nunc & usque in sæculum.

A solis ortu usque ad occasum, laudabile nomen Domini.

Excelsus super omnes gentes Dominus, & super cœlos gloria ejus.

Quis sicut Dominus Deus noster, qui in altis habitat, & humilia respicit in cœlo & in terra?

Suscitans à terra inopem, & de stercore erigens pauperem:

Ut collocet eum cum principibus, cum principibus populi sui.

Qui habitare facit sterilem in domo, matrem filiorum lætantem.

Gloria Patri &c.

## *Psalmus.* 127.

BEati omnes qui timent Dominum, qui ambulant in viis ejus.

Labores manuum tuarum quia manducabis: beatus es, & benè tibi erit.

Uxor tua sicut vitis abundans, in lateribus domus tuæ.

Filii tui sicut novellæ olivarum, in circuitu mensæ tuæ.

Ecce sic benedicetur homo, qui timet Dominum.

Benedicat tibi Dominus ex Sion: & videas bona Jerusalem omnibus diebus vitæ tuæ.

Et videas filios filiorum tuorum, pacem super Israël. Gloria Patri, &c.

## *Psalmus* 66.

DEus misereatur nostri, & benedicat nobis: illuminet vultum suum super nos, & misereatur nostri.

Ut cognoscamus in terra viam tuam: in omnibus gentibus salutare tuum.

Confiteantur tibi populi Deus: confiteantur tibi populi omnes.

Lætentur & exultent gentes: quoniam judicas populos in æquitate, & gentes in terra dirigis.

Confiteantur tibi populi Deus: confiteantur tibi populi omnes: terra dedit fructum suum.

Benedicat nos Deus, Deus noster, benedicat nos Deus: & metuant eum omnes fines terræ. Gloria Patri, &c.

Kyrie eleïson. Christe eleïson. Kyrie eleïson. Pater noster. *Vers.* Et ne nos inducas in tentationem. *Resp.* Sed libera nos à malo. *Vers.* Salvam fac ancillam tuam. *Resp.* Deus meus sperantem in te. *Vers.* Mitte ei auxilium

de sancto. *Resp.* Et de Sion tuere eam. *Vers.* Esto ei Domine turris fortitudinis. *Resp.* A facie inimici. *Vers.* Domine exaudi orationem meam. *Resp.* Et clamor meus ad te veniat. *Vers.* Dominus vobiscum. *Resp.* Et cum spiritu tuo.

OREMUS.

DOmine sancte, Pater omnipotens, æterne Deus, qui benedictonem tuam ægris infundendo corporibus facturam tuam multiplici pietate custodis; ad invocationem nominis tui sancti benignus assiste, ut hanc famulam tuam, dextera tuæ virtutis tuearis, potestate confirmes, signaculo sanctæ Crucis ✠ benedicas; atque tuæ Ecclesiæ & sanctis altaribus eam feliciter restituas. Per Christum Dominum nostrum. ℟. Amen.

OREMUS.

COncede, famulam tuam, quæsumus Domine, perpetua mentis & corporis sanitate gaudere: & gloriosâ Beatæ Mariæ semper Virginis intercessione, à præsenti liberari tristitia, & æternâ perfrui lætitiâ. Per Dominum nostrum Jesum Christum Filium tuum: Qui tecum vivit & regnat in unitate Spiritus sancti Deus, per omnia sæcula sæculorum. ℟. Amen.

*Tunc aspergatur aquâ benedictâ, adjungaturque, pro opportunitate, consolatio.*

# DE EXORCISMIS VIDE PASTORALE (*).

# MANUALIS PASTORUM

## PARS TERTIA,

Continens formulas pro benedicendis rebus variis, ordinem ad recipiendum Episcopum, formulas in registris observandas, etc.

### *Formulæ benedicendi tam comestibilia quàm alia quibus utuntur maleficiati: desumptæ ex Pontificali, Missali, et Rituali Romano, et ex Scriptura sacra.*

*QUandoquidem valdè utile & expediens sit maleficiatis, uti rebus Ecclesiæ precibus benedictis, ut aquâ benedictâ, pane, sale benedicto, aliisque cibis benedictis, & ut medicinæ ab eisdem sumendæ benedicantur,*

(*) Partem secundam Manualis Pastorum, tractantem de Exorcismis, utpote rarioris necessitatis, in hâc editione omisimus.

*juxta doctrinam Apostoli dicentis, Omnem creaturam bonam esse, & sanctificari per verbum Dei & orationem: hîc subjunguntur variæ formulæ benedictionum, quas prudens Exorcista facilè poterit accommodare aliis rebus hîc non expressis, mutatis mutandis: ut hac ratione etiam excludantur formularia à temerariis quibusdam excogitata, multis superstitionibus admixtis. Et licet reperiantur fortè apud aliquos Auctores bona, non sapientia superstitionem; nihilominùs expedit illas Benedictiones & Preces retineri, quæ ab Ecclesia in usum receptæ sunt, à veteribus usitatæ, vel proximè ad eas accedunt; eò quòd hujusmodi efficaciores sunt, & majoris meriti apud Deum, quàm privatorum. Proinde Sacerdotes & Exorcistæ his solis utentur: imò aliis uti non permittuntur, ne contingat malo delectu admitti quid minus idoneum.*

## *Ordo ad faciendam aquam benedictam.*

℣. Adjutorium nostrum in nomine Domini. ℟. Qui fecit cœlum & terram.

*Deinde absolutè incipit Exorcismum salis.*

EXorcizo te, creatura salis, per Deum ✠ vivum, per Deum ✠ verum, per Deum ✠ sanctum: per Deum, qui te per

Eliseum Prophetam in aquam mitti jussit, ut sanaretur sterilitas aquæ: ut efficiaris sal exorcizatum in salutem credentium: & sis omnibus sumentibus te sànitas animæ & corporis: & effugiat atque discedat à loco, in quo aspersum fueris, omnis phantasia & nequitia vel versutia diabolicæ fraudis, omnisque spiritus immundus adjuratus, per eum qui venturus est judicare vivos & mortuos, & sæculum per ignem. ℟. Amen.

OREMUS.

IMmensam clementiam tuam, omnipotens æterne Deus, humiliter imploramus: ut hanc creaturam salis, quam in usum generis. humani tribuisti, bene ✠ dicere, & sancti ✠ ficare tuâ pietate digneris: ut sit omnibus sumentibus salus mentis & corporis: & quidquid ex eo tactum vel respersum fuerit, careat omni immunditiâ, omnique impugnatione spiritalis nequitiæ. Per Christum Dominum nostrum. ℟. Amen.

*Exorcismus aquæ. Incipitur absolutè.*

EXorcizo te creatura aquæ in nomine Dei ✠ Patris omnipotentis, & in nomine Jesu ✠ Christi Filii ejus Domini nostri, & in virtute Spiritus ✠ sancti: ut fias aqua exorcizata ad effugandam omnem potestatem inimici, & ipsum inimicum eradicare & explantare valeas cum angelis suis apostaticis: per virtutem ejusdem Domini nostri Jesu

Christi, qui venturus est judicare vivos & mortuos, & sæculum per ignem, ℟. Amen.

### OREMUS.

DEus, qui ad salutem humani generis maxima quæque sacramenta in aquarum substantia condidisti: adesto propitius invocationibus nostris, & elemento huic multimodis purificationibus præparato virtutem tuæ bene ✠ dictionis infunde: ut creatura tua mysteriis tuis serviens, ad abigendos dæmones, morbosque pellendos, divinæ gratiæ sumat effectum: ut quidquid in domibus vel in locis fidelium hæc unda resperserit, careat omni immunditiâ, liberetur à noxa: non illic resideat spiritus pestilens, non aura corrumpens: discedant omnes insidiæ latentis inimici: & si quid est, quod aut incolumitati habitantium invidet, aut quieti, aspersione hujus aquæ effugiat: ut salubritas per invocationem sancti tui Nominis expetita, ab omnibus sit impugnationibus defensa. Per Dominum, &c.

*Hic ter mittat sal in aquam in modum Crucis, dicendo semel:*

COmmixtio salis & aquæ pariter fiat, In nomine Pa ✠ tris, & Fi ✠ lii, & Spiritus ✠ sancti. ℟. Amen. ℣. Dominus vobiscum. ℟. Et cum spiritu tuo.

OREMUS.

DEus invictæ virtutis auctor, & insuperabilis imperii Rex, ac semper magnificus triumphator: qui adversæ dominationis vires reprimis: qui inimici rugientis sævitiam superas: qui hostiles nequitias potenter expugnas: te Domine trementes & supplices deprecamur, ac petimus; ut hanc creaturam salis & aquæ dignanter aspicias, benignus illustres, pietatis tuæ rore sanctifices: ut ubicumque fuerit aspersa, per invocationem sancti nominis tui omnis infestatio immundi spiritus abigatur: terrorque venenosi serpentis procul pellatur: & præsentia sancti Spiritus nobis, misericordiam tuam poscentibus, ubique adesse dignetur. Per Dominum nostrum Jesum Christum Filium tuum: Qui tecum vivit & regnat in unitate ejusdem Spiritus sancti Deus, per omnia sæcula sæculorum. ℟. Amen.

*Benedictio Salis.*

*Vers.* Adjutorium nostrum in nomine Domini. *Resp.* Qui fecit cœlum & terram. ℣. Dominus vobiscum. ℟. Et cum spiritu tuo.

OREMUS.

DOmine Deus, Pater omnipotens, qui hanc gratiam cælitùs sali tribuere dignatus es, ut ex illo possint universa con-

diri quæ hominibus ad escam procreasti, bene ✠ dic hanc creaturam salis ad effugandum inimicum, & ei salubrem medicinam immitte, ut proficiat sumentibus ad animæ & corporis sanitatem. Per Christum Dominum nostrum. ℟. Amen.

*Et aspergat aquâ benedictâ.*

## *Benedictio Panis.*

*Vers.* Adjutorium nostrum in nomine Domini. *Resp.* Qui fecit cœlum & terram. ℣. Dominus vobiscum. ℟. Et cum spiritu tuo.

OREMUS.

Domine sancte, Pater omnipotens, æterne Deus, bene ✠ dicere digneris hunc panem tuâ sanctâ spirituali benedictione: ut sit omnibus sumentibus salus mentis & corporis, atque contra omnes morbos, & universas inimicorum insidias, tutamen. Per Dominum nostrum Jesum Christum Filium tuum, panem vivum, qui de cœlo descendit, & dat vitam & salutem mundo: & tecum vivit & regnat in unitate Spiritus sancti Deus, per omnia sæcula sæculorum. ℟. Amen.

*Aspergatur aquâ benedictâ.*

## *Benedictio agni et aliarum carnium.*

*Vers.* Adjutorium nostrum in nomine Domini. *Resp.* Qui fecit cœlum & terram. ℣. Dominus vobiscum. ℟. Et cum spiritu tuo.

OREMUS.

DEus, qui per famulum tuum Moysen liberatione populi tui de Ægypto agnum occidi jussisti in similitudinem Domini nostri Jesu Christi; & utrosque postes domorum de sanguine ejusdem agni perungi præcepisti: quique in priori Testamento carnes animalium in sacrificio offerri voluisti, & in cibum & refectionem hominibus concessisti: quæsumus, ut hanc carnem bene✠dicere, & sancti ✠ ficare digneris, quam famuli tui ad laudem tuam sumere desiderant, per resurrectionem ejusdem Domini nostri Jesu Christi: Qui tecum vivit & regnat in sæcula sæculorum. ℟. Amen. *Et mox aspergit aquâ benedictâ.*

## *Benedictio Ovorum.*

*Vers.* Adjutorium nostrum in nomine Domini. ℟. Qui fecit cœlum & terram. ℣. Dominus vobiscum. ℟. Et sum spiritu tuo.

OREMUS.

SUperveniat, quæsumus Domine, tuæ benedictionis gratia huic ovorum creaturæ: ut cibus salubris fiat fidelibus tuis in gratiarum actione sumentibus, ob resurrectionem Domini nostri Jesu Christi. Qui tecum vivit & regnat in sæcula sæculorum. ℟. Amen.

*Et aspergat aquâ Benedictâ.*

F

## *Benedictio quorumcumque Fructuum.*

*Vers.* Adjutorium nostrum in nomine Domini. ℟. Qui fecit cœlum & terram. ℣. Dominus vobiscum. ℟. Et cum spiritu tuo.

OREMUS.

BEne✠dic Domine hos fructus, & præsta; ut qui ex eis in tuo sancto nomine vescentur, corporis & animæ salute potiantur. Per Christum Dominum nostrum. ℟. Amen.

*Et aspergantur aquâ benedictâ.*

## *Benedictio ad quodcumque comestibile.*

*Vers.* Adjutorium nostrum in nomine Domini. *Resp.* Qui fecit cœlum & terram. ℣. Dominus vobiscum. ℟. Et cum spiritu tuo.

OREMUS.

BEne✠dic Domine creaturam istam *N.* ut sit remedium salutare generi humano: & præsta per invocationem sancti nominis tui, ut quicumque ex ea sumpserint, corporis sanitatem, & animæ tutelam percipiant. Per Christum Dominum nostrum. ℟. Amen.

*Aspergat aquâ benedictâ.*

## *Benedictio Vini, Cervisiæ, vel alterius potabilis materiæ.*

*Vers.* Adjutorium nostrum in nomine Domini. *Resp.* Qui fecit cœlum et terram. ℣. Dominus vobiscum. ℟. Et cum spiritu tuo.

OREMUS.

DOmine Deus, Pater omnipotens, statutor omnium elementorum & fructuum, qui per Jesum Christum Filium tuum Dominum nostrum substantiam hanc in refocillationem sitis & corporum salutem esse voluisti; te supplices deprecamur, ut exauditis orationibus nostris, eam tuæ pietatis adspectu sancti ✠ fices, atque ita omnium spirituum immundorum ab ea recedat incursio, ut quicumque ex ea sumpserit, ei gratia tuæ benedictionis adveniat, & mala omnia te propitiante ab eo procul recedant. Per eumdem Dominum, &c. ℟. Amen.

*Et aspergat aquâ benedictâ.*

## *Alia Benedictio vino propria.*

*Vers.* Adjutorium nostrum in nomine Domini. ℟. Qui fecit cœlum & terram. ℣. Dominus vobiscum. ℟. Et cum spiritu tuo.

OREMUS.

DOmine Jesu Christe, qui in Cana Galilææ ex aqua vinum fecisti, qui es vitis vera; multiplica super nos misericordiam

tuam, & bene ✠ dicere, & sancti ✠ ficare digneris hanc creaturam vini, ut quicumque ex eo sumet, divinæ benedictionis tuæ opulentiâ repleatur & sanctificetur, & corporis sanitatem & animæ tutelam percipiat. Qui cum Patre & Spiritu sancto vivis & regnas Deus, per omnia sæcula sæculorum. ℟. Amen.

*Aspergat aquâ benedictâ.*

## *Benedictio Olei.*

*Vers.* Adjutorium nostrum in nomine Domini. ℟. Qui fecit cœlum & terram. ℣. Dominus vobiscum. ℟. Et cum spiritu tuo.

OREMUS.

EMitte, quæsumus Domine, Spiritum sanctum tuum Paraclitum de cœlis in hanc pinguedinem olivæ, quam de viridi ligno producere dignatus es ad refectionem mentis & corporis, ut tuâ sanctâ bene ✠ dictione sit omnibus hoc unguento cœlestis medicinæ perunctis tutamen mentis & corporis, ad evacuandos omnes dolores, omnesque infirmitates, omnemque ægritudinem mentis & corporis, & si quod illis adversantium spirituum adhæreat nocumentum, ad tactum & sumptionem sanctificati Olei hujus abscedat, nullus spiritualibus nequitiis locus, nulla refugis virtutibus sit facultas, nulla insidiantibus malis latendi licentia relinquatur. Per Christum Dominum nostrum. ℟. Amen.

## *Benedictio quarumcumque medicinarum.*

*Vers.* Adjutorium nostrum in nomine Domini. ℟. Qui fecit cœlum & terram. ℣. Dominus vobiscum. ℟. Et cum spiritu tuo.

OREMUS.

SUmme Deus, qui summa & media imaque custodis, qui omnem creaturam intrinsecus ambiendo concludis: sancti ✠ ficare, & bene ✠ dicere digneris hanc medicinam, & bene ✠ dictionem tuam super eam digneris effundere, ut per tuam sanctissimam virtutem, & copiosissimam benedictionem, per signum sanctæ Crucis ✠ impertitam, omnis virtus diabolica ab hac creatura, quæ hanc medicinam sumptura est, expellatur & annihiletur; tantamque virtutem merito passionis tuæ, & vivificæ Crucis ✠ recipiat, ut omnes immundos spiritus, incantationes, ligaturas, signaturas, facturas, & omnia maleficia possit expellere & divertere à famulo tuo qui eâ utetur, exhibeatque ei plenum sanitatis effectum. Per Dominum nostrum Jesum Christum, &c. ℟. Amen.

OREMUS.

BEnedico te creatura medicinæ, in nomine altissimi Patris ✠, & Filii ✠, & Spiritus ✠ sancti, qui te creavit pro tutela humani generis. Et rogamus te Domine Deus noster,

ut hæc creatura medicinæ famulo tuo, qui eâ utetur, in nomine sanctæ Trinitatis efficiatur salutare remedium, sitque perfecta medicina in visceribus ejus. Qui in Trinitate perfecta vivis & regnas in sæcula sæculorum, ℟. Amen.
*Deindè aspergat aquâ benedictâ.*

## *Benedictio Thalami.*

*Vers.* Adjutorium nostrum in nomine Domini. *Resp.* Qui fecit cœlum & terram. ℣. Dominus vobiscum. ℟. Et cum spiritu tuo.

### OREMUS.

BEne✠dic, Domine, Thalamum hunc: ut omnes habitantes in eo, in tua pace consistant, & senescant, & multiplicentur in longitudinem dierum cum incolumitate mentis & corporis, & ad regna cœlorum perveniant. Per Dominum nostrum, &c. ℟. Amen.

### OREMUS.

CReator & conservator humani generis, dator gratiæ spiritualis, largitor æternæ salutis; tu Domine emitte bene✠dictionem tuam super hunc Thalamum, ut quicumque in eo requiescet, in virtute cœlestis defensionis ad vitam æternam proficiat; & à suis languoribus & doloribus, omnibusque insidiis & machinationibus diaboli & ministro-

rum ejus liberetur. Per Dominum nostrum, &c. ℟. Amen.

*Posteà aspergat aquâ benedictâ.*

## *Benedictio Cubiculi.*

*Vers.* Adjutorium nostrum in nomine Domini. ℟. Qui fecit cœlum & terram. ℣. Dominus vobiscum. ℟. Et cum spiritu tuo.

### Oremus.

BEne ✠ dic, Domine Deus omnipotens, locum istum, ut sit in eo sanitas, castitas, victoria, fortitudo, humilitas, bonitas, & mansuetudo, plenitudo legis, & gratiarum actio Deo Patri, & Filio, & Spiritui sancto: & hæc benedictio maneat super hunc locum, & super habitantes in eo: Angeli tuæ lucis eum inhabitent, eumque & ejus habitatores custodiant & defendant contra omnes insidias inimici, & si quæ adversa & contraria sunt ab eo in hoc loco machinata & fabricata, auctoritate Majestatis tuæ expellant. Per Dominum nostrum, &c. ℟. Amen.

### Oremus.

PRopitiare, Domine, supplicationibus nostris, & bene ✠ dic locum istum dexterâ tuâ sanctâ, & omnes qui in eo commorantur; illumque visitare, & inhabitantibus gratiam sanitatis impertiri digneris, sicut benedicere dignatus es cubiculo & domui, in quo exceptus fuit hospitio Propheta Eliseus;

& sicut visitasti & sanasti socrum Petri. Mitte Domine sanctum Angelum tuum de cœlis, qui liberet & defendat hunc locum ab imminentibus malis cum omnibus qui in eo commorantur, nullaque eos nequitia contrariæ potestatis infestet, sed virtute Spiritus sancti fiat hîc tibi debitum & devotâ libertate securum servitium. Per Dominum nostrum, &c. ℟. Amen.
*Deinde aspergat aquâ benedictâ.*

## *Benedictio ignis quo cremabuntur signa malefica inventa.*

*Vers.* Adjutorium nostrum in nomine Domini. ℟. Qui fecit cœlum & terram. ℣. Dominus vobiscum. ℟. Et cum spiritu tuo.

OREMUS.

DOmine Deus omnipotens, cui assistit exercitus Angelorum cum tremore, quorum servitium spirituale & igneum esse cognoscitur, dignare respicere, bene ✠ dicere, & sanctificare hanc creaturam ignis; ut eo combustis maleficii signis, omnes languores, omnesque infirmitates atque insidiæ inimici effugiant & separentur à plasmate tuo. Numquam lædatur à morsu antiqui serpentis, quod pretioso Sanguine Filii tui redemisti. Qui tecum vivit & regnat, in unitate Spiritus sancti Deus, per omnia sæcula sæculorum. ℟. Amen.
*Aspergat aquâ benedictâ.*

## *Benedictio Thuris seu Incensi.*

*Vers.* Adjutorium nostrum in nomine Domini. ℟. Qui fecit cœlum & terram. ℣. Dominus vobiscum. ℟. Et cum spiritu tuo.

OREMUS.

PEr intercessionem beati Michaëlis Archangeli stantis à dextris altaris incensi, & omnium electorum suorum, incensum istud dignetur Dominus bene ✠ dicere, & in odorem suavitatis accipere. Sit, quæsumus Domine, famulis tuis pretioso Sanguine tuo redemptis defensio perpetua contra omnes spiritus malignos, & omnes incantationes, præstigia, & diabolicas vexationes: sit perpetua expulsio malignorum spirituum; & in quocumque loco odor hujus incensi fuerit, nullum maleficium, nullaque molestatio diabolica possit perdurare, sed statim tuâ immensâ potentiâ & virtute tollatur & abigatur per signum sanctæ Crucis ✠ tuæ. Qui vivis & regnas cum Deo Patre in unitate Spiritus sancti Deus, per omnia sæcula sæculorum. ℟. Amen.

OREMUS.

DOmine Deus omnipotens, cui astat exercitus Angelorum cum tremore, dignare bene ✠ dicere, & sancti ✠ ficare hanc creaturam incensi, ut omnes languores, omnesque infirmitates atque insidiæ inimici,

odorem incensi hujus sentientes fugiant procul; ut de cetero non audeant lædere, molestare, aut infestare creaturas tuas, aut loca habitationis earum. Per te Jesu Christe Salvator mundi, qui vivis & regnas cum Deo Patre in unitate Spiritus sancti Deus, per omnia sæcula sæculorum. ℟. Amen.

*Aspergat aquâ benedictâ.*

*Sequentes generales Benedictiones & Exorcismi possunt etiam prædictis rebus applicari, si quando quis longiores inquirit, vel necessarias putat.*

## *Benedictiones ad quæcumque volueris, assumenda in humanum usum per modum cibi, potus vel medicinæ.*

*SAcerdos ut suprà superpelliceo & stolâ indutus, vel saltem stolâ, dicat* ℣. Adjutorium nostrum in nomine Domini. ℟. Qui fecit cœlum & terram. ℣. Benedicat nos Deus, Deus noster, benedicat nos Deus. ℟. Et metuant eum omnes fines terræ.

Lectio libri Genesis. *Gen.* 1.

CReavit Deus hominem ad imaginem suam; ad imaginem Dei creavit illum, masculum & feminam creavit eos. Benedixitque illis Deus, & ait: Crescite & multiplicamini, & replete terram, & subjicite eam, & dominamini piscibus maris, & vo-

latilibus cœli, & universis animantibus quæ moventur super terram. Dixitque Deus: Ecce dedi vobis omnem herbam afferentem semen super terram, & universa ligna quæ habent in semetipsis sementem generis sui, ut sint vobis in escam, & cunctis animantibus terræ, omnique volucri cœli, & universis quæ moventur in terra, & in quibus est anima vivens, ut habeant ad vescendum. Et factum est ita. Viditque Deus cuncta quæ fecerat, & erant valdè bona. ℟. Deo gratias.

Sequentia sancti Evangelii secundùm Lucam.

IN illo tempore: Dum recumberet Jesus cum illis, accepit panem, & bene ✠ dixit, ac fregit, & porrigebat illis. Et aperti sunt oculi eorum, & cognoverunt eum. ℟. Laus tibi Christe. *Luc.* 24.

Per Evangelica dicta det nobis & huic creaturæ [ his creaturis ] Dominus suam sanctam gratiam & benedictionem, In nomine Patris ✠, & Filii ✠, & Spiritus ✠, sancti. ℟. Amen.

*Ex Psalmis.*

DOmini est salus: & super populum tuum bene ✠ dictio tua. *Psal.* 3.

Sicut unguentum in capite, quod descendit in barbam, barbam Aaron. *Ps.* 132.

Quod descendit in oram vestimenti ejus:

sicut ros Hermon, qui descendit in montem Sion.

Quoniam illic mandavit Dominus bene ✠ dictionem, & vitam usque in sæculum.

Aperis tu manum tuam: & imples omne animal bene ✠ dictione. *Ps.* 144.

Hic *N.* accipiet bene ✠ dictionem à Domino: & misericordiam à Deo salutari suo. *Ps.* 23.

Bene ✠ dicat te Dominus ex Sion, qui fecit cœlum & terram. *Ps.* 133.

℣. Domine exaudi orationem meam. ℟. Et clamor meus ad te veniat. ℣. Dominus vobiscum. ℟. Et cum spiritu tuo.

OREMUS.

OMnipotens Deus, adesto propitius invocationibus nostris, & huic creaturæ humanis usibus præparatæ virtutem tuæ benedictionis infunde: ut mysteriis tuis serviens, ad abigendos dæmones, morbosque pellendos, divinæ gratiæ sumat effectum: ut quicumque hâc usus fuerit, careat omni immunditiâ, liberetur à noxa: discedant omnes insidiæ latentis inimici: & si quid est, quod utentium incolumitati invidet aut quieti, effugiat; ut salubritas per invocationem tui sancti nominis expetita, ab omnibus sit infestationibus defensa. Per Christum Dominum nostrum. ℟. Amen.

OREMUS.

DEus invictæ virtutis auctor, & insuperabilis imperii Rex, ac magnificus triumphator, qui adversæ dominationis vires reprimis: qui inimici rugientis sævitiam superas; qui hostiles nequitias potenter expugnas; te Domine trementes & supplices deprecamur ac petimus, ut hanc creaturam *N.* [has creaturas *N.* & *N.*] dignanter aspicias, benignus illustres, pietatis tuæ rore sancti ✠ fices: ut ubicumque fuerit [fuerint] in usu adhibita [adhibitæ] ad honorem nominis tui, per invocationem ipsius sanctissimi nominis tui, omnis infestatio immundi spiritus abigatur: terrorque venenosi serpentis procul pellatur, & præsentia sancti Spiritus nobis misericordiam tuam poscentibus ubique adesse dignetur. Per Dominum nostrum, *&c.* ℞. Amen.

OREMUS.

IMmensam clementiam tuam, omnipotens æterne Deus, humiliter imploramus, ut hanc creaturam *N.* [has creaturas *N.* & *N.*] quam [quas] in usum generis humani tribuisti, bene ✠ dicere & sancti ✠ ficare tuâ pietate digneris, ut sit [sint] omnibus eam [eas] adhibentibus salus mentis & corporis, & ubicumque fuerit [fuerint] applicata [applicatæ] tollatur omnis immunditia, & cesset omnis impugnatio spiritalis nequitiæ. Per Christum Dominum nostrum. ℞. Amen.

## Exorcismus.

EXorcizo te (vos) crearura *N.* (creaturæ *N.* & *N.*) in nomine Dei Patris ✠ Omnipotentis, & in nomine Jesu ✠ Christi Filii ejus Domini nostri, & in virtute Spiritùs ✠ sancti; ut fias creatura exorcizata (fiatis creaturæ exorcizatæ) ad effugandam omnem potestatem inimici, & ipsum inimicum eradicare & explantare valeas (valeatis) cum angelis suis apostaticis, per virtutem ejusdem Domini nostri Jesu Christi, qui venturus est judicare vivos & mortuos, & sæculum per ignem. ℟. Amen.

*Aspergat aquâ benedictâ, dicens:* Benedictus Deus & Pater Domini nostri Jesu Christi, qui bene✠dixit nos in omni benedictione spirituali in cœlestibus in Christo. ℟. Amen.

# ORDO
## AD RECIPIENDUM
# ARCHIEPISCOPUM
## VEL
# EPISCOPUM
## Visitantem Diœcesim suam.

*Pontifex visitaturus Diœcesim et Parochias suas, cum ad Civitatem aliquam seu Oppidum pervenerit, recipitur processionaliter, prout in Pontificali continetur.*

IN visitatione autem parochiarum, Parochus, vel si sit major in Dignitate, indutus superpelliceo, & pluviali pretioso, venit obviam Pontifici ad extremum cœmeterii cum Clero, præcedente Cruce, & Vexillis, ac comitantibus Scabinis, & aliis præcipuis personis parochiæ, Eumque ibi salutat, & processionaliter deducit ad templum, in cujus introitu offert Pontifici Crucem Altaris

osculandam, quam Pontifex, genibus flexis super genuflexorio tapete strato, devotè osculatur; deinde à Digniori offertur Pontifici aspersorium cum aqua benedicta, quâ Pontifex seipsum primò aspergit, deinde offerentem, & adstantes, redditque Aspersorium ei, qui obtulit; à quo mox offertur Pontifici navicula thuris, alio Sacerdote induto supperpelliceo, thuribulum porrigente: Pontifex autem benedicit incensum ac, statim Dignior Ecclesiæ Pontificem, cooperto capite stantem, ter incensat: deinde proceditur ad Altare majus canendo responsorium.

Sacerdos, & Pontifex, & virtutum opifex, Pastor, in Populo, sic placuisti Domino.

Secundùm notas Antiphonæ, *Sacerdos & Pontifex* ut in Processionali vel, Ecce Sacerdos magnus &c. ut in Processionali.

Procedit intereà Pontifex ad faldistorium, sibi præparatum in latere Evangelii ad infimum gradum Altaris.

Finito responsorio dignior Ecclesiæ, stans in cornu Epistolæ versus ad Pontificem, cantat versiculos sequentes, respondente Choro.

℣. Protector noster aspice Deus,

℟. Et respice in faciem Christi tui.

℣. Salvum fac servum tuum.

℟. Deus meus sperantem in te.

℣. Mitte ei Domine auxilium de Sancto.

℟. Et de Sion tuere eum.

℣. Nihil proficiat inimicus in eo.

℟. Et filius iniquitatis non apponat nocere ei.

℣. Domine exaudi orationem meam.

℟. Et clamor meus ad te veniat.

℣. Dominus vobiscum.

℟. Et cum spiritu tuo.

## OREMUS.

DEus humilium visitator, qui eos paternâ dilectione consolaris prætende Societati nos-

træ gratiam tuam, ut per eos, in quibus habitas, tuum in nobis sentiamus Adventum. Per Christum Dominum nostrum. Amen.

Posteà cantatur Antiphona cum Versiculo de Patrono, vel Patrona Ecclesiæ, quâ finitâ, Pontifex surgens, ascendit ad cornu Epistolæ, ubi cantat collectam convenientem; deinde osculato medio Altaris, solemniter benedicit populo: quibus peractis, procedit ab absolutionem animarum defunctorum, hoc ordine:

Pontifex stans in infimo gradu Altaris, ad cornu Epistolæ, indutus ornamentis volacei, vel nigri coloris, versus ad populum incipit Antiphonam, *Si iniquitates*, postea cum ministris alternativè dicit psalm. *De profundis &c.* Quo finito repetitur Antiphona, *Si iniquitates observaveris Domine*, *Domine quis sustinebit*? quâ dictâ, depositâ Mitrâ, dicit Pontifex,

*Kyrie eleïson. Christe eleïson. Kyrie eleïson. Pater noster*; quod secretè completur: intereà, à digniori traditur Pontifici aspersorium cum aquâ benedictâ, quâ aspergit tertiò ante se, deinde imposito incenso in thuribulo, & illo benedicto, codem modo incensat, quo facto pronuntiat versus,

*Et ne nos inducas in tentationem. &c.*

Prout in Pontificali.

Absolutâ per Pontificem oratione, *Deus qui inter Apostolicos Sacerdotes*, exit cum Mitrâ ad cœmeterium, aquâ benedictâ, thuriferario, duobus ceroferariis, Cruce, & Clero præcedentibus, & (prout Pontifex decreverit) dicentibus vel cantantibus,

Qui Lazarum resuscitasti, &c.

Interim ipse Pontifex dicit cum suis Ministris Antiphonam, *Si iniquitates*, & psalm. *De profundis &c.* repetitur Antiphona, *Si iniquitates observaveris Domine, Domine qui sustinebit?*

Quibus omnibus dictis, cum fuerint in medio cœmeterii, firmant se suo ordine, & Chorus cantat, vel legit Responsorium,

Libera me Domine de morte æterna, &c.

Dum repetitur responsorium, *Libera me*, usque ad primum Versum, offertur per Digniorem Ecclesiæ navicella, & per alium ex Ministris Thuribulum Pontifici, qui imponit incensum more solito.

Responsorio repetito Chorus cantat, vel legit,

*Kyrie eleïson. Christe eleïson. Kyrie eleïson.*

Mox Pontifex, Mitrâ depositâ, convenienti voce dicit, *Pater noster*, deinde aspergit, & incensat, prout fecit in Ecclesia, quo facto dicit versum, *Et ne nos inducas*

cum reliquis, prout in Pontificali, & productâ per Pontificem Cruce ab omni parte super cœmeterium, & impositâ ei Mitrâ revertentur omnes ad Ecclesiam, eo ordine, quo venerunt, Choro dicente, congruenti voce, totum Psalmum, *Miserere mei Deus*, cum *Requiem æternam*, quem etiam Pontifex dicit voce demissâ cum Ministris suis.

Quibus dictis, & Pontifice ad summum Altare deducto, depositâ Mitrâ; Pontifex stans in medio, versus ad altare, dicit, *Kyrie eleïson. Christe eleïson. Kyrie eleïson, Pater noster, &c.* prout in pontificali; tunc depositis pluviali, & Stolâ violacei vel nigri coloris, & assumptis albi coloris, incipit visitationem à SS. Eucharistia, quâ, post inspectionem, (Choro cantante, *Genitori Genitoque &c.*) populum benedicit, deinde procedit ad visitationem Baptisterii &c. prout in pontificali.

Peractâ Visitatione, Pontifex in suo habitu communi, stans ante Altare in cornu Epistolæ, versus ad illud dicit psalmum, *De Profundis*, totum cum *Requiem æternam*, & Antiphonam *Si iniquitates*, deinde *Pater noster &c.* prout in pontificali.

*Advertant omnes, qui ad manus Pontificis aliquid tradunt, ut prius illud osculentur, deinde manum Pontificis, qui autem aliquid à Pontifice recipiunt, ut prius osculentur manum Pontificis, deinde rem acceptam.*

# FORMULÆ VARIÆ IN REGISTRIS ET TESTIMONIALIBUS *OBSERVANDÆ.*

## *Formula describendi in Registro nomina baptizatorum.*

ANno die mensis ego *N.* Pastor baptizavi *N.* filium *N.* & *N.* conjugum, natum die mensis circa horam Susceptores fuerunt *N.* & *N.* *vel si alieno nomine susceperunt, exprimatur. Deinde baptizans subsignet.*

## *In descriptione verò Baptismi illegitimorum servetur hæc forma.*

Anno die mensis ego *N.* Pastor baptizavi *N.* filium *N.* & *N.* (*vel*, cujus pater aut parentes ignorantur, *vel*, qui per obstetricem, aut alium, dicitur esse filius *N.*) *Ac insuper addatur nomen obstetricis vel deferentis.* Susceptores fuerunt *N.* & *N.*

*Si infans fuerit exposititius, eadem forma illegitimorum servabitur, exprimendo insuper diem, ubi, & à quo repertus fuerit.*

## *Formula describendi in registro nomina contrahentium Sponsalia vel Matrimonium.*

ANno mensis die contraxerunt Sponsalia coram me Pastore *N.* & *N.* subditi mei, (*vel* Parochiæ *N.*) præsentibus *N* & *N.*

Proclamationes bannorum debitè factæ sunt; prima, die secunda, die & tertia, die *Vel si desuper obtenta fuerit dispensatio, id exprimatur.*

## *Deinde contracto Matrimonio.*

Anno mensis die præviis tribus proclamationibus (*vel*, habitâ dispensatione unius, *vel*, plurium bannorum) coram me Pastore (*vel*, Vicepastore) Ecclesiæ contraxerunt legitimè Matrimonium *N.* & *N.* subditi hujus, (*vel*, talis Parochiæ de *N.*) præsentibus *N.* & *N.* *Deinde solemnizans subsignet.*

## *Formula Testimonialium legitimi thori, et probitatis vitæ, pro tonsurandis.*

EGo infrascriptus Ecclesiæ *N.* Pastor, testor *N.* Parochianum meum, filium legitimum *N.* & *N.* conjugum, honestum esse adolescentem, nullius vitii labe depravatum aut infamatum; sed ejus vitæ & morum honestatis, ut qui Ecclesiæ Dei deservire desiderans, Tonsurâ Clericali tutò possit insigniri. Datum, &c.

## *Testimoniales pro Ordinibus majoribus.*

EGo infrascriptus Ecclesiæ *N.* Pastor, fidem facio, quòd factâ è suggestu denuntiatione die mensis nullum innotuerit impedimentum, quod *N.* Parochianum meum à Subdiaconatus (*vel*, Diaconatus, *aut*, Presbyteratus) Ordine Sacro debeat removere. Immo meritò sperandum est, eumdem futurum utilem Ecclesiæ Dei, si ad eum Ordinem admittatur. Datum, &c.

## *Pro iis qui Sponsalia contraxerunt, ut ad bannorum proclamationem procedatur.*

Reverendo Dno. Pastori Ecclesiæ *N.*

Parochianus vester *N.* Sponsalia contraxit cum *N.* parochiana mea, *N.* & *N.* filia, die mensis anno Quare ad proclamationem bannorum super futuro Matrimonio eorumdem vobis licebit procedere. Datum, &c.

## *Pro Matrimonio celebrando.*

Reverendo Dno. Pastori Ecclesiæ *N.*
Proclamationibus tribus antenuptialibus ritè peractis in Ecclesia nostra *N.* inter *N.* Parochianum meum, *N.* & *N.* filium, & *N.* vestram, nullum innotuit impedimentum, quod eos ab ineundo Matrimonio debeat remorari: estque dictus *N.* Parochianus meus Sacramentorum Confirmationis, Confessionis & Communionis susceptione ad id præparatus, & sufficienter in Fidei articulis scitu necessariis instructus. Quare poteritis ad eorumdem Matrimonii solemnizationem tutò procedere. Datum, &c.

## *Ut constet de alicujus ætate ex Registro Baptismali, fiat extractum authenticum sub Parochi signatura hoc modo:*

Extractum ex Registro Baptismali Ecclesiæ Parochialis *N.* ubi habentur sequentia.

ANno die mensis ego *N.* Pastor *N.* baptizavi *N.* filium *N.* & *N.*

conjugum, natum die mensis circa horam Susceptores fuerunt *N.* & *N.*

Concordat de Verbo ad verbum cum prædicto Registro. Ita testor

*N.* Pastor *N.*

---

# FORMULA

## Ad scribendum Testimonium pro iis qui egent Dispensatione sedis Apostolicæ, titulo Paupertatis.

EGo infrascriptus Rector Parochialis Ecclesiæ Loci de... sub Districtu..... Diœcesis N. scio & testificor NN. & NN. subditos præfatæ Parochialis Ecclesiæ esse orthodoxæ Romanæ Fidei cultores, verùm adeò Pauperes, ut de suis labore & industriâ tantùm vivant. In cujus fidem subscripsi hâc.... mensis..... anni....

*Attestatio hæc, non est in ista forma expedienda, nisi ejus contenta nitantur veritate, & hæc habeatur, vel ex particulari notitiâ ipsiusmet Pastoris attestantis, vel ex testimoniis fide dignorum testium. Si omissa fuerit particula* tantùm, *non utilis est attestatio ad finem qui intenditur.* Necessum etiam est, ut Pastor antequàm

relaxet testimonium, quod Oratores sunt consanguinei vel affines in tali vel tali gradu, exactè sit informatus de ejusmodi gradu, & quamdam ejus habeat certitudinem. Aliàs pauperes Oratores, expeditis Bullis juxta vitiosam gradûs expressionem, incidunt in varia incommoda.

---

# INSTRUCTIO

## *Parochorum, et aliorum Confessariorum pro Casibus, quorum Absolutio, vel dispensatio spectat ad Sacram Pœnitentiariam, seu ad Sedem Apostolicam.*

CUm multi inter Christi fideles utriusque sexus ubique locorum existentes Censuris, Irregularitatibus, impedimentis Votorum, & Matrimonii, aliisque hujusmodi casibus ad Sacram Pœnitentiariam, seu Sedem Apostolicam spectantibus respectivè irretiti diu permaneant, immò interdum miserè pereant, tanti mali causam posse ex his fontibus provenire dignoscitur.

Primò, quia Parochi, vel alii Confessarii, in quorum manibus hujusmodi Pœnitentes veniunt; ii præsertim, qui ruri, & in pagis extrà Civitates habitant, sæpissimè

nesciunt ad quem in Urbe pro remedio confugiant, qui, vel absolutionis, vel dispensationis Litteras à Sacra Pœnitentiaria obtinere iis procuret. Unde fit ut hac curâ depositâ Pœnitentes, vel ad Episcopos, vel ad alios mittant, ad quos isti præ rubore, ac verecundia, (Fœminæ præsertim) accedere verentur.

Secundò. Alii verò, qui suos habent Romæ Procuratores tantam pecuniæ vim pro expensis exigunt, ut hi præ inopia tantis sumptibus impares omninò recedant, & fortè sibi persuadeant, (quod longè pejus esset) Sacrum Tribunal Pœnitentiariæ pro dictis Litteris aliquid lucri reportare.

Tertiò. Facit etiam nonnullorum Confessariorum incogitantia, ut gratiæ obtentæ irritæ sint, quia casus, & casuum circumstantias necessariò explicandas malè interdum exponunt: quo fit ut litterarum Exequutores, præmisso Pœnitentium examine, rem aliter se habere, quàm exposita fuerit, comperiant, ac proinde dictas litteras exequi non possint. Unde Pœnitentes quasi desperati pro novæ gratiæ impetratione, remedio privati manent.

Quartò. Accidit etiam non raro ut Pœnitentes obtenis litteris, non possint in suis pagis facilè reperire Doctorem Theologiæ, vel Sacrorum Canonum (his enim ut plurimum litteræ Sacræ Pœnitentiariæ inscribuntur) aut saltem ille suspectus sit, nec

etiam in Vicinia eos, quippe qui procul absunt, difficilè adire possint: Unde litteræ suo carent effectu, ac miseri Pœnitentes in suis sordibus perseverant.

His præmissis, cum certum sit Sacræ Pœnitentiariæ Tribunal salutem dumtaxat animarum intendere, et omnia gratis concedere, Parochis, & Confessariis aliquot capita hìc proponuntur pro remedio indicatorum incommodorum.

Primò. Ubi accedit aliquis ad illos casu quopiam ad dictum Tribunal pertinente laborans, examinent diligenter Pœnitentem, ut rem totam sincerè aperiat: observent genus Censuræ: scrutentur etiam facti circumstantias. Item inquirant de Pœnitente an sit vir, aut fœmina: An Laïcus, aut Clericus; an Regularis, aut Sæcularis, an Sacerdos, vel in ordine Sacro, aut simplex Clericus, aut Monialis, &c. Item appellent genus censuræ incursæ, & casum, ex quo incursa est, an publicus, vel occultus. Et circa Irregularitatem videant an ex delicto, & ex quali delicto cum suis circumstantiis: an ex defectu, & ex quali defectu: an ex Homicidio, aut mutilatione; an ex violatione censuræ. In Matrimoniis inquirant quale sit impedimentum; an revera occultum, an de contracto Matrimonio, vel de contrahendo agatur: Item quid causæ allegetur pro dispensatione obtinendâ: Idem fiat pro votis, scilicet quid causæ pro commutatione,

& ad quem effectum. Sed præsertim de Clerici percussore disquiratur ad Urbem prò Absolutione si accedere non valeat.

Secundò. Habitâ verâ totius causæ notitiâ scribant casum in charta quocumque charactere, dummodo legi possit, idque sive latinâ, sive qualibet aliâ cujuslibet Regionis nativâ linguâ, omissis inutilibus, reticito etiam nomine, & cognomine Pœnitentis (quamvis nullum sit periculum rem, & Personam prodendi) nisi fortè ageretur de Censuris inflictis contrà publicos Clericorum Percussores, & duellantes in publicum, tunc enim nomen, cognomen, & Diœcesim exprimant; in occultis verò per simplex N. N. proceditur, & casum sic inscriptum directè mittant per postam, seu communem Tabellarium Romam Majori Pœnitentiario in hunc modum.

*Eminentissimo, et Reverendissimo D. Cardinali Majori Pœnitentiario.*

QUi certè pro sua humanitate, & charitate libenter omnes audiet, jubebit litteras expedire, & rescribendo mitti curabit.

Tertiò. In Litteris tamen Romam ad eum missis significent quomodo, & quâ viâ responsum mittendum sit per Postam, seu communem publicum Tabellarium, terminando literas Eminentissimo inscriptas in hunc ferè modum.

Dignetur Eminentia vestra rescribere NN. in Civitate N. pro tali Oppido N.

## Sic autem casum proponet.

## *Eminentissime, et Reverendissime Domine.*

N. Sacerdos contraxit Irregularitatem, ex Homicidio occulto ab eo ob talem, vel talem causam clam tali modo patrato, vel procurato in persona hominis laïci. Ab eo Tempore non abstinuit ab exercitio ordinum, vitandi scandali causâ, vel ne se proderet; sive abstinuit, sed cum diu absque scandalo abstinere non possit, humillimè supplicat pro remedio.

NN. Contraxit matrimonium cum muliere, cujus matrem antea carnaliter cognoverat conscius, vel nescius impedimenti (quod occultum est) quare cum absque scandalo separari non possint humillimè supplicat pro remedio.

NN. Mulier emisit Votum Castitatis perpetuæ, sed cum adsit, vel futurum esse prævideat periculum incontinentiæ, humillimè supplicat pro dispensatione ad effectum nubendi.

Sed cum innumeri sint casus, in quibus supplicari debet Eminentiss. Cardinali M. Pœnitentiario, innumera quoque sunt supplicationum Exemplaria pro quorum notitia hæc indicasse sufficiat.

Denique si in illo Oppido, seu Civitate in qua Eminentissimo Pœnitentiario (ut præfertur) scribitur, non fuerint Confessores, Doctores in Jure Canonico, vel Magistri in Sacra Theologia, vel si adsint, Pœnitens non possit de facili induci eis aperire suam Conscientiam, cum jam aperuerit alicui confessario non graduato, hoc ipsum in litteris missis ipsi M. Pœnitentiario significetur, quod idem significandum est, si Confessarius Gotticum Characterem legere nesciat, quia (uti speratur) de opportuno remedio providebitur.

Quod si fortè aliquando tardaverit responsum Eminentiss. M. Pœnitentiarii, tunc poterunt Confessarii, seu Pœnitentes, iterum scribere, ut si fortè fuit deperdita prima Epistola, altera ad manus Eminentiss. M. Pœnitentiarii perveniat, & ex his adjuvante Deo præmissis omnibus incommodis providebitur, & animas fratrum Deo lucrabuntur Pastores & directores.

---

# FORMULA

## Ad scribendum testimonium pro iis, qui egent Dispensatione super proclamationibus antenuptialibus.

FActâ per me infrascriptum Rectorem Parochialis Ecclesiæ loci de ... Districtus ...

Diœcesis N. diligenti inquisitione apud personas fide dignas super libertate NN. & NN. subditorum prætactæ Parochialis, cupientium inter se ritè contrahere Matrimonium; scio & testificor eos ad id esse liberos & ab eo non prohiberi per aliquod Canonicum impedimentum. Insuper ipsos esse boni nominis & famæ, & in Catholica fide quam profitentur, esse sufficientur instructos, uti per examen deprehendi: deinde eorumdem Parentes consentire in prædictum prætensum Matrimonium, ut ex ore eorumdem Parentum coràm didici. Et quia prædicti nupturientes excurrunt ut gratiam dispensationis obtineant, & allegant pro causa quòd *&c.* fidem facio causam illam reverà subesse. Datum, *&c.*

---

# FORMULA

## Testimonii Pastoralis pro iis qui migrant ex una Provincia, Civitate, Oppido, vel Pago, ad aliam Provinciam, Civitatem, Oppidum, vel Pagum.

Ego infrascriptus Pastor Ecclesiæ Parochialis S. N. Civitatis N. vel Oppidi N. vel Pagi N. fidem facio NN. & NN. personas in legitimo Matrimonio constitutas,

& hinc aliò cum suis prolibus & domesticis demigrantes, esse Catholicæ & Orthodoxæ fidei cultores, Ecclesiam suam Parochialem & Sacramenta diligenter frequentasse quamdiu apud nos fuerunt, & non fuisse in ullo scandalosos, nec esse notatos ullâ infamiâ; sed econtrà istam familiam & singulares ejus personas mihi esse notas ut probæ vitæ & conversationis, & ab honestate vitæ ac morum esse commendabiles; uti in qualitate mea suprascripta mihi constat ex speciali eorum notitiâ & inspectione —— *vel*, ex fide dignorum Vicinorum testimonio —— *vel*, tam ex fide dignorum testimonio, quàm ex personali notitia —— *vel* qui habitârunt in vicinia mea per Annos ——

*Quòd si qui petit testimonium est juvenis, intendens peregrè proficisci, verbi gratiâ ad Urbem Romanam, ad Divam Virginem Lauretanam, Compostellam ad S. Jacobum, vel ad Terram Sanctam, Sancta ibidem loca veneraturus, dare poterit Testimonium in hac vel simili forma.*

Ego NN. Pastor talis Ecclesiæ in tali Civitate, Oppido, vel Pago, fidem facio NN. Parochianum meum constitutum in ætate —— Annorum, habentem nigros capillos, colorem fuscum, staturam mediocrem, & vocem exilem, hinc tum devotionis, tum curiositatis causâ peregrè abeuntem, esse Catholicum Romanum, & boni nominis ac famæ, nec ullâ notâ per crimen

aut malam vitam aspersum, nec etiam esse aliquo matrimoniali vinculo irretitum. Quocirca eum pro merito omnibus ad quos devenerit impensè commendamus. Datum, &c.

*Si profecturus ampliùs mereatur commendari ab exemplari vita, à diligenti frequentatione Parochiæ & Sacramentorum, ab obedientia & reverentia erga Parentes & Superiores, ab aliqua speciali scientia vel aliis ejusmodi, aut si constitutio personæ ejus sit diversa ab iis quæ suprà exprimuntur, inseratur fideli testimonio, cui semper in omnibus & singulis debet assistere nuda & benè comperta veritas.*

# DE VISITATIONE
## ET
## CURA INFIRMORUM,
### Cum praxi brevi assistendi Moribundis.

*INfirmorum curam ac visitationem non vulgarem officii Pastoralis partem facere, antiqui Patres & Concilia demonstrarunt, & novissimè asseruit qui feliciter universæ præest Ecclesiæ Benedictus XIII. in ipso, quod celebravit, Romano Concilio tit.* 1.

*cap. IV. ubi Parochorum commemorans munera, hunc in modum edicit:* Invigilent etiam Episcopi ut Paroçhi propria, quæ sua sunt, munera exerceant.... Videlicet.... Infirmos visitare & moribundis assistere.

*Et reverà quis ambigat? Etenim si umquam ut bonus Pastor allaborare teneatur, ut subditum* in via salutis dirigat, *id vel maximè locum habere evincit ratio eo in temporis articulo, quo tartareus cacodæmon*, sciens quod modicum tempus habet. Apoc. c. 12. ℣. 9. *Casses pedicasque expedit, ut iis animam miserè irretiat, & in æternam pertrahat perditionem.*

*Ut id munus suum Pastor ceterique animarum directores exequantur ardentius, calcar addat Divinum hoc D. Dionysii effatum:* Divinorum divinissimum est coöperari saluti animarum.

*Proindè quocumque tempore Parochus ad ægrum evocabitur, ardens in se ipso desiderium excitabit, salutem illius procurandi: ea propter cetera negotia quamvis in speciem urgentia, tantisper seponet, & negotium hoc,* negotium negotiorum *existimabit.*

*Quocirca moras omnes abrumpet, ne fortè eas nectendo, intereà infirmus sensuum usu destituatur; aut etiam accidat, quod tantopere anxit B. Pastorem Severum, cujus meminit S. Greg. Dial. l. 1. c. 12. qui ad moribundum accitus, ilicò se ventu-*

*rum respondit, ubi negotiolum, quod præ manibus erat, absolvisset. Substitit ergo tantisper donec residuos vineæ palmites resecuisset: sed eheu! ante mors ægro vitam, quàm ille vitem amputavit, documento certè futura vigilantissimis quoque Pastoribus, periculosum utique esse in hoc animarum negotio minimùm tergiversari.*

*Quin quâ animi promptitudine Infirmos visitare, ad eosque veluti evolare bonus Pastor debeat, exemplo suo abundè demonstravit is, qui* (a) Cum dilexisset suos, in finem dilexit eos: *Accersitus enim ad Centurionis Puerum, nil cunctatus;* veniam, *inquit*, & curabo eum. (b)

*Ut autem hanc officii partem Pastor, aliique, quibus animarum cura incumbit, debitè adimpleant; visum fuit, signanter pro tyronibus, notare sequentia.*

I.

AD Infirmum animæ Medicus evocatus, si morbum deprehenderit periculosum, & domestici desuper eum monere non audeant, mortis discrimen ipse ei ob oculos ponat; at dexterè ac suaviter. *Sumus omnes mortales, & secundùm Christi Testimonium, nescimus diem neque horam. Plures id damno suo æternùm irreparabili sunt experti*, quorum vitæ telam mors inopinata ex improviso præscidit.

(a) Joan. c. 15. (b) Matt. c. 8.

Adhæc cavebit ne nimio quorumvis accessu æger gravetur: ne profanus promiscuè sermo misceatur: Consanguineorum, amicorumque gemitus & complorationes moderabitur.

Imaginem Crucifixi, B. V. Mariæ, alteriùsve sancti curet ob decumbentis oculos apponi: Item aquæ lustralis vasculum, quâ infirmus, thalamusque frequenter aspergatur.

Deinde missâ procul omni rerum caducarum sollicitudine, ut se totum dedat spirituali animæ suæ negotio procurando, seriò adhortetur.

II.

Et primùm quidem monebit, temporis rationem exposcere, ut juxta Prophetæ monitum, domui suæ disponat. *Isaiæ* 38.

Eatenùs, qua par est prudentiâ, & charitate, hominem ad tempestivam confessionem inducat; ne nimiùm eam differendo, quando maximè necessaria est, minùs accuratè fiat. Etenim dum corpus morbi dolore evictum jacet, plerumque mens ipsa ob dolorum participationem ita hebescit, ut ægrè scelerum numerum inire, gravitatemque expendere queat: adeò ut magis extorta tunc per vim Confessio, quàm spontanea censeatur.

*Dicat:* morbos, ut plurimum esse Dei nuntios, quibus admonemur, ut ad Divinæ misericordiæ, id est Pœnitentiæ Tribunal festinemus, ne justitiæ rigorem vel in hoc, vel futùro sæculo cogamur experiri.

Deum, qui non vult *Mortem morientis sed ut convertatur*, *Ezech.* 18. & *cujus deliciæ sunt esse cum filiis hominum*, *Prov.* 8. ambire nostram amicitiam, verùm peccatorum nostrorum septo sæpè arceri: *iniquitates vestræ diviserunt inter vos, & Deum vestrum*, inquit Propheta. Isaiæ 59.

Adhæc: ipsam confessionem mediùm esse, per quod etiam facilius à Deo recuperationem sanitatis obtineamus, naturaliter quoque ad hoc conferente animi tranquillitate, quam confessio inducit.

III.

Post hæc, totus in eo erit bonus Pastor, ut in infirmo excitet sinceram cordis contritionem, necessitate ejus summâ propositâ, ut *dignè* confiteatur nedùm *valide*, item Dei offensi Majestate ac bonitate, offendentis verò malitiâ, ac vilitate.

Hunc in finem, salubritèr ipsum juverit, verbis quoque præeundo: hoc vel simili modo.

Nonnè ex animo doles te Deum ita offendisse, quem amore summo prosequi debueras. Dic ergo ex sincero mentis affectu.

O bone Deus doleo ex toto corde, quod te umquam tam multiplicibus, ac enormibus peccatis facto, verbo, & cogitatione perpetratis offenderim, ac supremam tuam læserim Majestatem: ea nunc ex animo detestor; mihique summoperè displicent ob bonitatem tuam infinitam.

*Pater peccavi in cœlum, & coram te jam non sum dignus vocari Filius tuus. Luc.* 15. Nunc audiens vocem tuam misericordissime Deus convertor ad te; ideo

*Delicta juventutis meæ, & ignorantias meas ne memineris Domine. Psal.* 24.

*Ab occultis meis munda me Domine, & ab alienis parce servo tuo. Psal.* 18.

IV.

Idem præstet circa actus Fidei, Spei, & Charitatis ab Infirmo eliciendos.

Nonne credis firmiter, & assentiris omnibus, quæ Deus revelavit, & nobis per sanctam Catholicam Romanam Ecclesiam credenda proponit?

Dic igitur: *Credo in Deum* &c. in hâc fide volo vivere, & mori.

*Domine custodi in æternum hanc voluntatem.* 1. *Paralap.* 29.

Eia, frater Christiane, si fide vivâ credis Deum omnipotentem, & misericordem, ejusque Filium unigenitum pro salute tua & omnium hominum pretiosum Sanguinem profudisse, non est, quod propter delicta tua, etiam innumera, & enormia desperes.

Respice in amantissimum Jesum, in cruce brachia expandentem, ut misericordiæ suæ visceribus te complectatur.

Audi illum invitantem: *Venite ad me omnes, qui laboratis, & onerati estis, & ego reficiam vos. Matt.* 11.

Ecquid igitur fiduciam tuam omnem in

Deo Jesu tuo collocas? Nemo umquam in eo speravit, & confusus est. Exemplo sunt inter plures: Bonus Latro; Maria Magdalena; Augustinus, cæterique innumeri.

Dic ergo fidenter: *In te Domine speravi non confundar in æternum. Psal.* 30.

*Quoniam tu Domine singulariter in spe constituisti me. Psal.* 4.

Domine si habes unde me damnare potes, habes etiam unde me salvare potes.

*Misericordia Domini super omnia opera ejus.*

Hâc spe animatus, petat & charitatis igne accendi, dicens: Domine Jesu tu dixisti; *Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde &c.* Auge gratiam tuam; auge charitatem in me, ut sicut tu vis diligi, & ego te diligere desidero, sic ego te diligam.

Te igitur diligo, Deus meus, ex toto corde meo, ex tota anima mea, ex totis viribus meis, super omnes res hujus mundi, utinam amplius & amplius te diligerem.

*Domine tu scis, quia amo te.* Sed

*O bonitas infinita, quam serò te amavi.* Morbo ingravescente, depositâque per sacram Confessionem peccatorum sarcinâ, Viaticum summo ardore deposcere faciat Bonus Pastor ægrotum, monebitque eum SS. Eucharistiam viatoribus dari per modum cibi, ne in via deficiant ad Patriam cœlestem.

*Surge*, inquiebat Angelus Eliæ, *comede grandis enim tibi restat via:* 3. *Reg.* 19.

Et tibi amice Christiane restat via, & grandis, & hostibus multis infestissima; verùm ne animum despondêres, Servator benignissimus, *paravit in conspectu tuo mensam adversus eos, qui tribulant te.*

Ad hanc si dignè accubueris, audacter cum Davide canes: *Si ambulavero in medio umbræ mortis, non timebo mala, quoniam tu mecum es Domine. Psal.* 22. Erit tibi panis iste, quod arma Davidis adversus Goliath.

Dic ergo, at corde magis, quam ore: *Veni Domine, & noli tardare, descende Domine, priusquam moriatur anima mea. Jois.* 4.

Ah bone Jesu, grandis adhuc restat mihi via, quomodo possum illam feliciter decurrere sine te, qui es *via, veritas* & *vita.*

Sed, ô *Domine non sum dignus ut intres sub tectum meum*, scelerum sordibus contaminatum; at *Quis potest facere mundum de immundo conceptum semine, nonne tu, qui solus es? Job.* 14.

*Domine si vis potes me mundare, tantum dic verbo, & sanabitur anima mea.*

V.

Perceptâ venerabilis Sacramenti, hujusque cibi dignitate consideratâ, exclamet æger cum Ecclesia: *O res mirabilis, manducat Dominum pauper, servus & humilis.*

Et cum Miphiboseth: 2. *Reg.* 9. *quis ego sum servus tuus, quoniam respexisti super canem mortuum similem mei?*

Cum autem me visitare dignatus es, & te ipsum in cibum præbêre, *Mane nobiscum Domine, quoniam advesperascit, & inclinata est jam dies : Luc.* 24. Sic est, mi Jesu, breviati sunt dies mei, & *solum mihi superest sepulchrum.*

VI.

Si ægrum de vita periclitari advertat, monebit eum Pastor bonus, ut ad extremam cum stygio hoste luctam sese comparet, ideoque, ut athletam Christi decet, tempestivè Oleo sacro inungatur.

VII.

Post hoc, aliaque jam infirmo administrata Sacramenta, Pastorem non omni penitùs functum esse officio suo, certatim monent ritualia ferè universa; superest enim, si æger diutius vixerit, frequens ejus visitatio, *Ad eum consolandum*, exhortandum &c.

VIII.

*Ad eum consolandum:* nimirum si mortis horrore percellatur.

Illi ob oculos ponat, Deum supremum esse Dominum vitæ & mortis : hinc cum Job dicendum; *Dominus dedit, Dominus abstulit, sit nomen Domini benedictum.*

Gratis quidem à Deo nos vitam accepisse, sed hâc lege, ut eam reposcenti omni temporis momento redderemus.

Nam, *statutum est hominibus semel mori. Heb.* 9. Te igitur hominem esse memineris, & queri desines.

*Memento homo, quia pulvis es, & in pulverem reverteris.*

Mortuus est ipse Deus homo Christus, mortua ejus mater: dic ergo cum Christo jamjam morituro; *Pater mi non mea, sed tua voluntas fiat.*

Ah amice mi noli queri: *Siccine separat amara mors? O mors, quàm amara est memoria tua homini pacem habenti in substantiis suis.*

Audi quid reponat tibi Job patientissimus: *Homo natus de muliere, brevi vivens tempore, repletur multis miseriis.*

Hinc sancti plurimi vitæ hujus mortalis finem totis votis expetierunt; *Infelix ego homo, quis me liberabit de corpore mortis hujus, cupio dissolvi,* suspirabat Apostolus, *& esse cum Christo.*

Igitur, nolite diligere mundum, neque ea quæ in mundo sunt; mundus enim transit, & concupiscentia ejus; qui autem facit voluntatem Dei, manet in æternum.

IX.

*Ad eum exhortandum:* nimirum, si Ægrum dolorum aculeis magnoprè pressum invenerit.

Eatenus non incongruè ipsum monuerit Salvatorem dixisse: *In patientia vestra possidebitis animas vestras. Lucæ* 21.

Hæc virtus tibi modo pro virili exercenda venit.

Et quidni? non est discipulus *super Ma-*

*gistrum , neque servus super Dominum : oportuit & Christum pati, & sic intrare in gloriam suam.*

Hoc ejus exemplum voluit ut sequamur, *Qui vult venire post me, tollat crucem suam, & sequatur me.*

Ecce hi morbi, hi dolores sunt crux tua: hanc tollas, ac patienter feras, & plurimum meriti comparaveris; *Id* enim, *quod in præsenti est momentaneum & leve tribulationis nostræ, æternæ gloriæ pondus operatur in nobis*, 2. *Cor.* 4. quamquam *Non sunt condignæ passiones hujus temporis ad futuram gloriam, quæ revelabitur in Christo. Rom.* 8.

X.

Pro Coronide in decursu visitationis adhortetur infirmum, ut sæpius reiteret serium de peccatis suis conceptum dolorem, veros & efficaces actus Fidei, Spei, & Charitatis erga Deum & proximum, ut sese totum resignet ac conformet divinæ voluntati: infinitæ Dei misericordiæ immobiliter inhæreat, &c.

# PROFESSIO FIDEI
## CATHOLICÆ
### Juxta tenorem Bullæ Pii Quarti
### SUMMI PONTIFICIS.

*EGo N. firmâ fide credo, & profiteor omnia & singula quæ continentur in Symbolo fidei, quo sancta Romana Ecclesia utitur, videlicet: Credo in unum Deum Patrem omnipotentem, Factorem Cæli & Terræ, visibilium omnium & invisibilium. Et in unum Dominum Jesum Christum Filium Dei unigenitum, & ex Patre natum ante omnia sæcula: Deum de Deo, lumen de lumine: Deum verum de Deo vero: genitum non factum, consubstantialem Patri per quem omnia facta sunt; qui propter nos homines & propter nostram salutem descendit de cœlis: & incarnatus est de Spiritu Sancto, ex Maria Virgine, & homo factus est; Crucifixus etiam pro nobis sub Pontio Pilato, passus & sepultus est: & resurrexit tertiâ die secundùm Scripturas: & ascendit in Cœlum, sedet ad dexteram Patris: & iterùm venturus est cum gloria judicare vivos & mortuos; cujus regni non erit finis. Et in Spiritum*

*Sanctum Dominum, & vivificantem, qui ex Patre Filioque procedit: qui cum Patre & Filio simul adoratur, & conglorificatur: qui locutus est per Prophetas. Et unam sanctam Catholicam & Apostolicam Ecclesiam: Confiteor unum Baptisma in remissionem peccatorum, & exspecto resurrectionem mortuorum & vitam venturi sæculi, Amen. Apostolicas & Ecclesiasticas traditiones, reliquasque ejusdem Ecclesiæ observationes & constitutiones firmissimè admitto, & amplector. Item Sacram Scripturam, juxta eum sensum quem tenuit & tenet sancta Mater Ecclesia, cujus est judicare de vero sensu, & interpretationem sacrarum Scripturarum admitto: nec eam umquam, nisi juxta unanimem consensum Patrum accipiam & interpretabor. Profiteor quoque septem esse verè & propriè novæ Legis Sacramenta, à Jesu Christo Domino nostro instituta, atque ad salutem humani generis, licèt non omnia singulis, necessaria, scilicet, Baptismum, Confirmationem, Eucharistiam, Pœnitentiam, Extremam-Unctionem, Ordinem, & Matrimonium; illaque gratiam conferre: & ex his, Baptismum, Confirmationem, & Ordinem sine sacrilegio reiterari non posse. Receptos quoque & approbatos Ecclesiæ Catholicæ ritus in supradictorum omnium Sacramentorum solemni administratione, recipio & admitto. Omnia & singula quæ*

*de peccato originali, & de justificatione, in sacrosancta Tridentina Synodo definita & declarata fuerunt, amplector & recipio. Profiteor quoque in Missa offerri Deo verum, proprium, & propitiatorium Sacrificium pro vivis & defunctis. Atque in sanctissimo Eucharistiæ Sacramento esse verè, realiter, & substantialiter Corpus & Sanguinem, unà cum anima & divinitate Domini nostri Jesu Christi, fierique conversionem totius substantiæ panis in Corpus, & totius substantiæ vini in Sanguinem, quam conversionem Catholica Ecclesia transsubstantiationem appellat. Fateor etiam sub altera tantùm specie totum atque integrum Christum, verumque Sacramentum sumi. Constanter teneo, Purgatorium esse, animasque ibi detentas Fidelium suffragiis juvari. Similiter & Sanctos unà cum Christo regnantes venerandos atque invocandos esse, eosque orationes Deo pro nobis offerre, atque eorum Reliquias esse venerandas. Firmissimè assero, imagines Christi ac Deiparæ semper Virginis, nec non aliorum Sanctorum, habendas & retinendas esse, atque eis debitum honorem, ac venerationem impartiendam. Indulgentiarum etiam potestatem à Christo in Ecclesia relictam fuisse, illarumque usum Christiano populo maximè salutarem esse, affirmo. Sanctam Catholicam & Apostolicam Romanam Ecclesiam omnium Eccle-*

*siarum Matrem & Magistram agnosco: Romanoque Pontifici, Beati Petri Apostolorum Principis Successori, ac Jesu Christi Vicario, veram obedientiam spondeo ac juro. Cetera item omnia à sacris Canonibus, & œcumenicis Conciliis, ac præcipuè à sacrosancta Tridentina Synodo tradita, definita, & declarata, indubitanter recipio ac profiteor; simulque contraria omnia, atque hæreses quascumque ab Ecclesia damnatas, & rejectas, & anathematizatas, ego pariter damno, rejicio, & anathematizo. Hanc vèram Catholicam fidem, extra quam nemo salvus esse potest, quam in præsenti spontè profiteor & veraciter teneo, eamdem integram, & inviolatam usque ad extremum vitæ spiritum, constantissimè (Deo adjuvante) retineri, & confiteri, atque à meis subditis, vel illis quorum cura ad me in munere meo spectabit, teneri, doceri, & prædicari quantum in me erit, curaturum, Ego idem N. spondeo, voveo ac juro. Sic me Deus adjuvet, & hæc sancta Dei Evangelia.*

---

# BELYDENISSE

## VAN HET KATHOLYK GELOOVE,

*Naer den inhoud der Bulle van Pius den IV: van dien naem Paus van Roomen.*

IK N. geloove ende belyde met een vast geloof, alle ende elk in het byzonder van

het gene behelst het Symbolum des Geloofs, het welk in de Heylige Roomsche Kerke gebruykt word: te weten:

Ik geloove in eenen Godt, Vader Almagtig, maeker des hemels ende der aerde, aller zienelyke en onzienelyke dingen: ende in eenen Heere JESUM CHRISTUM, Gods eenigen geboren Zone, ende voor alle eeuwen uyt den Vader geboren; Godt van Godt, licht van den lichte, waerachtig Godt van waerachtig Godt; voortgebragt, niet gemaekt; van een zelfstandig wezen met den Vader, door den welken alles gemaekt is: den welken om ons menschen, ende tot onze zaligmaekinge uyt de hemelen nedergedaelt is: ende heeft vleesch aengenomen door den Heyligen Geest uyt de Maget MARIA, ende is mensch geworden: heeft ook voor ons gekruyst geworden onder Pontius Pilatus, heeft geleden, ende is begraven, ende ten derden dage is verrezen, na de Schriftueren: ende is opgeklommen ten hemel; zit ter regter-hand des Vaders: ende zal wederom komen met heerlykheyd oordeelen de levende ende de doode; wiens ryks geen eynde en zal wezen. Ende in den Heyligen Geest, Heere ende levendmaekende; die uyt den Vader ende den Zone voortkomt; den welken t'samen met den Vader ende den Zone aenbeden ende verheerlykt word: die gesproken heeft door de Propheten. Ende eene Heylige Katholyke ende Apos-

tolyke Kerke. Ik belyde een Doopsel tot vergiffenisse der zonden. Ende ik verwachte de verryssenisse der dooden, ende het leven van de toekomende eeuwe, Amen.

Ik aenveirde ende omhelze vastelyk de Apostolische ende Kerkelyke Overleveringen, ende alle andere onderhoudingen ende instellingen der zelve Kerke.

Ook aenneme ik de Heylige Schrifture na den zin die voór dezen gehouden heeft, ende nog houd onze Moeder de Heylige Kerke; aen wie toekomt te oordeelen over den waerachtigen zin ende uytlegginge van de heylige Schriften; nog ik en zal de zelve oyt anders aenveirden of uytleggen, als achtervolgens de eendragtige toestemminge der Vaderen.

Ik belyde ook dat'er zyn waerachtelyk ende eygentlyk zeven Sacramenten van de nieuwe Wet, door JESUM CHRISTUM onzen Heere ingestelt, ende tot de zaligheyd des menschen geslachte noodig; al en zyn die niet altemael aen ieder mensch noodzaekelyk: te weten: het Doopsel, het Vroomsel, het Sacrament des Autaers, de Penitentie, het heylig Olie, het Priesterdom, ende het Houwelyk: ende dat door de zelve Sacramenten aen den mensch gratie verleent word: ende dat de dry der zelve, te weten het Doopsel, Vroomsel, ende Priesterdom, zonder sacrilegie niet meer als eens gegeven of ontfangen en mogen worden. Ook aen-

neme ende aenveirde de gewoonelyke ende geapprobeérde Ceremoniën der Katholyke heylige Kerke, de welke in de solemnele bedieningen van alle de voorzeyde Sacramenten gebruykt worden.

Ook aenveirde ende aenneme allen het gene, raekende de Erf-zonde ende de Rechtveirdigmaekinge, in het heylig Concilie van Trenten by uytspraeke vastgestelt ende verklaert is.

Ook belyde, dat in de Misse aen Godt opgeoffert word een waerachtig, eygen, ende verzoenende Sacrificie voor levende ende dooden. Ende dat in het allerheyligste Sacrament des Autaers is waerachtelyk, eygentlyk ende wezentlyk het Lichaem ende Bloed, t'samen met de Ziele ende Godtheyd van den Heere Jesus Christus: ende dat daer in geschied veranderinge van het geheel wezen des broods in het Lichaem, ende van het geheel wezen des wyns in het Bloed: welke veranderinge de Katholyke Kerke *Transsubstantiatio* noemt. Ik bekenne mede, dat onder elk van de twee gedaenten, Christus geheel ende volmaekt, ende een waerachtig Sacrament genut word

Ik houde standvastelyk, dat'er is een Vagevuer, ende dat de zielen aldaer besloten, door de gebeden der geloovige geholpen worden.

Ook, dat de Heyligen, die met Christo zyn regnerende, te eeren ende te aenroepen

zyn; ende dat de zelve voor ons aen Godt gebeden opofferen; ende dat hunne Reliquiën te eeren zyn. Ik houde voor zeker ende vast, dat men behoort te hebben ende te bewaeren de beélden van Christus, van zyne heylige Moeder, ende ook van andere Heyligen: ende dat men aen de zelve schuldig is behoorlyke eere ende eerbiedinge te bewyzen.

Ik houde insgelyks voor zeker, dat de magt der Aflaeten van Christus in de Kerke naegelaeten is, ende dat het gebruyk der zelve aen den Christenen volke zeer zalig is.

Ik erkenne de Heylige Katholyke ende Apostolyke Roomsche Kerke voor Moeder ende Meestersse van alle Kerken: ende belove ende zweire waere onderdaenigheyd aen den Paus van Roomen, Naekomer van den heyligen Petrus Prince der Apostelen, ende Stadhouder Jesu Christi.

Voorts zoo ontfange ende belyde alle andere zaeken, door de heylige Canones, ende generaele Concilien, ende principalyk door het H. Concilie van Trenten overgelevert, vastgestelt ende verklaert: ende alle dingen aen de zelve tegenstrydende, ende alle hoedaenige ketteryen door de Kerke verdoemt, verworpen ende vervloekt, verdoeme, verwerpe ende vervloeke ik insgelyks.

Dit waerachtig Katholyk Geloof (buyten het welk niemand en kan zalig worden)

het welk ik tegenwoordiglyk vry ende onbedwongen belyde, ende waerachtelyk houde, belove ende zweire ik gansch ende ongeschend (met Gods hulpe) standvastelyk te behouden ende te belyden tot den laetsten adem van myn leven: ende van myne onderzaeten, of van de gene over de welke my toestaet zorge te draegen, voor zoo vele als in my is, te doen houden, leeren ende verkondigen. Alzoo helpe my Godt, ende deze zyne heylige Evangelien.

---

# PROFESSION

## DE LA FOI CATHOLIQUE,

### Selon la teneur de la Bulle de Pie IV, Pape de Rome.

JE N. crois et professe d'une ferme foi tous et chaque Article compris au Symbole de la Foi, qui est en usage dans la sainte Eglise Romaine, à savoir:

Je crois en un Dieu, Père tout-puissant, qui a fait le Ciel et la Terre, toutes les choses visibles et invisibles. Et en un Seigneur *Jesus-Christ*, Fils seul engendré de Dieu, et né du Père avant tous les siècles; Dieu de Dieu, Lumière de Lumière, vrai Dieu de vrai Dieu: engendré, non

fait, consubstantiel au Père, par qui toutes choses sont faites : qui pour nous hommes et pour notre salut est descendu des cieux : et est Incarné par le saint Esprit, de la Vierge Marie, et a été fait homme : a aussi été crucifié pour nous sous Ponce Pilate, a souffert et a été enseveli : et est ressuscité le troisième jour selon les Ecritures : et est monté au Ciel ; est assis à la droite du Père : et viendra derechef juger les vivans et les morts ; dont le Regne sera sans fin. Et au saint Esprit, Seigneur et vivifiant, qui procède du Père et du Fils : qui est également adoré et glorifié avec le Père et le Fils, qui a parlé par les Prophétes. Et une sainte Eglise Catholique et Apostolique : je confesse un Baptême en rémission des péchés. Et j'attends la résurrection des morts, et la vie du siècle futur. Ainsi soit-il.

J'admets et j'embrasse très-fermement les traditions Apostoliques et Ecclésiastiques, et les autres observations et constitutions de la même Eglise.

De même j'admets l'Ecriture sainte, selon le sens qu'a tenu et tient la sainte Mère Eglise, à laquelle appartient de juger

du vrai sens et de l'interprétation des Ecritures saintes. Et je ne la prendrai et ne l'interpréterai jamais, que selon le sentiment unanime des Peres.

Je professe aussi, qu'il y a vraiment et proprement sept Sacremens de la Loi nouvelle, institués par *Jesus-Christ* Notre-Seigneur, et nécessaires au salut du genre humain, quoique non pas tous à un chacun, à savoir; le Baptême, la Confirmation, l'Eucharistie, la Pénitence, l'Extrême-Onction, l'Ordre, et le Mariage; et qu'iceux conférent la grace; et que d'iceux le Baptême, la Confirmation et l'Ordre, ne peuvent être réitérés sans sacrilège. Je reçois et admets les Cérémonies reçues et approuvées de l'Eglise Catholique, en la solennelle administration de tous lesdits Sacremens.

J'embrasse et reçois toutes et chacune des choses qui ont été definies et déclarées touchant le Pèché Originel, et la justification au saint et sacré Synode de Trente.

Je professe pareillement, qu'en la Messe est offert à Dieu un Sacrifice vrai, propre, et propitiatoir pour les vivans et les trépassés; et qu'au très-saint Sacrement de l'Eucha-

ristie est vraiment, réellement et substantiellement le Corps et le Sang, ensemble avec l'Ame et la Divinité de Notre-Seigneur *Jesus-Christ*, et qu'il s'y fait une conversion de toute la substance du pain au Corps, et de toute la substance du vin au Sang, laquelle conversion l'Eglise Catholique appelle *Transsubstantiation*. Je confesse aussi que sous chacune des deux espèces on reçoit *Jesus-Christ* tout entier, et un vrai Sacrement.

Je tiens constamment, qu'il y a un Purgatoire, et que les ames y detenues sont aidées par les suffrages des Fidèles.

Pareillement aussi, que les Saints qui regnent ensemble avec *Jesus-Christ*, sont a honorer et à invoquer, et qu'ils offrent des oraisons à Dieu pour nous, et que leurs Reliques sont à vénérer. J'assure fermement, que les Images de *Jesus-Christ*, et de la Mère de Dieu toujours Vierge, et aussi des autres Saints, sont à avoir et à retenir, et que l'honneur et vénération dûe leur est à rendre.

J'affirme aussi, que le pouvoir des Indulgences a été laissé à l'Eglise par *Jesus-Christ*, et que l'usage d'icelles est fort salutaire au peuple Chrétien.

Je reconnois que la sainte Eglise Catholique, Apostolique et Romaine, est la Mère et Maîtresse de toutes les Eglises: et je promets et jure une vraie obéissance au Pontife Romain, Successeur de saint Pierre, Prince des Apôtres, et Vicaire de *Jesus-Christ*.

Pareillement je reconnois et professe indubitablement toutes les autres choses données, definies, et déclarées par les sacrés Canons, et Conciles œcuméniques, et principalement par le saint et sacré Synode de Trente: et pareillement je condamne, je rejette, et j'anathématize ensemble toutes choses contraires, et toutes hérésies quelconques, condamnées, rejettées, et anathématizées par l'Eglise.

Je promets, voue et jure, de retenir et confesser constamment (Dieu aidant) cette vraie Foi Catholique, entière et inviolable, jusqu'au dernier soupir de ma vie, hors laquelle personne ne peut être sauvé; laquelle maintenant je professe de bon gré, et je la tiens véritablement; et j'aurai soin autant qu'il sera en moi, quelle soit tenue, enseignée et prêchée par mes sujets, ou par ceux dont le soin m'appartiendra en vertu

de ma charge. Ainsi Dieu soit en mon aide, et ces saints Evangiles de Dieu.

F I N I S.

---

PHILIPPUS ERARDUS VANDER NOOT, Dei et Apostolicæ Sedis gratiâ Episcopus Gandavensis etc. Omnibus has visuris salutem in Domino. Cum hoc *Manuale Pastorum*, diligenti factâ collatione, repertum sit convenire quoad administrationem Sacramentorum, Ritus, Cæremonias, Exorcismos, Varias Benedictiones et Formulas in Registris observandas, cum Pastorali nostræ Diœcesis Gandavensis: ut illud pro commoditate curam animarum gerentium, cum aliis adjectis, imprimi possit, præsentium tenore licentiam concedimus et impertimur. Datum Gandavi hac 12 Maii 1727.

De Mandato etc.

A. NEERINCX Secret.

---

Reimprimi potest.

Gandavi hâc 24 Julii 1809.

✠ MAURIT. Epus Gand.

# ORDO ET INDEX
## HUJUS MANUALIS.

### *PARS PRIMA.*



### *PARS TERTIA.*

FINIS.

*Formula Benedictionis Apostolicæ, seu Absolutionis generalis, in Diœcesi Gandavensi, moribundis impertiendæ, (ab iis utique qui ad hoc, ab Illustrissimo Episcopo, ex Indulto pontificio, speciali facultate potiti sunt.)*

℣. ADjutorium nostrum in nomine Domini.
℟. Qui fecit Cœlum et Terram.

*Antip.* Ne reminiscaris Domine delicta Famuli tui (vel Ancillæ tuæ) neque vindictam sumas de peccatis ejus.

Kyrie eleïson, Christe eleïson, Kyrie eleïson.

Pater noster, &c.

℣. Et ne nos inducas in tentationem,
℟. Sed libera nos à malo.
℣. Salvum fac Servum tuum (vel Ancillam tuam, & *sic deinceps.*)
℟. Deus meus sperantem in te.
℣. Domine exaudi orationem meam,
℟. Et clamor meus ad te veniat.
℣. Dominus vobiscum,
℟. Et cum spiritu tuo.

OREMUS.

CLementissime Deus, Pater misericordiarum, & Deus totius consolationis, qui ne-

minem vis perire in te credentem, atque sperantem, secundùm multitudinem miserationùm tuarum, respice propitiùs Famulum tuúm N. (vel Ancillam tuam N.) quem (vel quam) tibi vera Fides & Spes Christiana commendant. Visita eum (vel eam) in salutari tuo, & per Unigeniti tui Passionem & Mortem, omnium ei deli&ctorum suorum remissionem, & veniam clementer indulge, ut ejus anima in hora exitûs sui Te Judicem propitiatum inveniat, & in Sanguine ejusdem Filii tui ab omni macula abluta, transire ad vitam mereatur Perpetuam. Per eumdem Christum Dominum nostrum.

*Tum dicto ab uno ex Clericis adstantibus* Confiteor &c. *Sacerdos dicat* Misereatur &c. *Deinde.*

Dominus noster Jesus Christus Filius Dei vivi, qui Beato Petro Apostolo suo dedit potestatem ligandi, atque solvendi, per suam piissimam misericordiam recipiat confessionem tuam, et restituat tibi stolam primam, quam in Baptismate recepisti, & ego facultate, mihi ab Apostolica Sede tributa, indulgentiam plenariam & remissionem omnium peccatorum tibi concedo. In nomine Patris &c.

Per Sacrosancta humanæ reparationis Mysteria, remittat tibi omnipotens Deus omnes præsentis & futuræ vitæ pœnas, Paradisi portas aperiat, & ad gaudia sempiterna perducat. Amen.

Benedicat te Omnipotens Deus, Pater, Filius, & Spiritus Sanctus. Amen.

# De Absolutione Generali.

Post extremam unctionem sequitur Benedictio Apostolica quam Illust. Dominus per se, vel per alios impertiri potest juxta speciales facultates sibi a S. Sede concessas, die 20a mensis Septembris, 1828 sub tenore sequenti:
Si vere poenitens et confessus, ac sacra communione refectus, vel quatenus id facere nequiverit, saltem contritus, nomen Jesu, ore si potuerit, sin minus corde, devote invocaverit, et mortem tanquam stipendium peccati de manu Domini patiente et alacri animo susceperit.

Tria igitur ad indulgentiam lucrandam ab infirmo requiruntur:
1o ut confiteatur et sacram communionem recipiat, vel si id fieri nequeat contritionem eliceat,
2o ut nomen Jesu ore si potuerit, sin minus corde invocet,
3o ut mortem tanquam poenam peccati suscipiat.